





alt. Nr. 47

- 1) Hofmanns Pau,
- 2) Schnecken, N.
- 3) Ampelander, W.

UVW

Dahl,

40 $\frac{12}{18}$ W

K. V. 47.

VICTORIÆ
GLORIO=

SÆ ET Æ=

TERNÆ ÆTERNI

Patris, necnon Christi & eius Fi-
delium, contra Satanam eiusq; in
terris uicarium Antichri-
stum pugnan-
tium,

LIBRI IIII.

Item:

DE ANTICHRISTI NA-
tiuitate, Inauguratione, Ornamen-
tis, Potestate, & in has terras
primo aduentu,

LIBRI IIII.

Authore

VVOLFANGO AM-
PELANDRO Helue-
tio Bernate.



Epigramma

ad

IO. IACOBVM GRYNÆVM
Theologum.

Dirus aper quondam Oenéos immissus in agros
Ad Meleagræam concidit ictus opem:
Dirior Eumenidum lustris erupit in Orbem;
Regnâque cum populis vastat, & ore vorat.
Hunc Christi collecta manus dum fervida telis
Nititur immanem sternere, castra locat:
Se quibus Aönidū clypeo VVOLF GANGVS et armis
Tectus agit socium, nec nova bella timet.
Sterne, GRYNÆE, tuis Aprum gravioribus armis,
Dum fera VVOLF GANGVS cuspide terga secat.
Si mihi, qui tantis sese commiserit ausis,
Non Meleager eris; quis Meleagros erit?

VALENTINVS THILO
LIGIVS.



INCLYTO POTENTISS. ET CELEBR-
RIMAE VRBIS BERNATVM
Senatui, prudentissimis D. Coss. praes-
stantis. & laudatissimis Senatoribus, Pa-
triae Patribus, uerae Religionis fortis.
propugnatoribus, Musarumq; summis
Mecoenatibus, D. suis pluri-
mum suspicien-
dis,

WOLFGANGVS AMPELAN-
DER gratiam & pacem in Christo
IESU Domino & Serua-
tore nostro.



Inclyta BERNATVM, vos o claris-
sima Gentis
Helueticæ, toto terrarum lumina gyro
Cognita, & æternis merito celebra-
da Camænis;
Oceani quorum quæ se latè ambitus alti
Extendit, cunctis diffusa est gloria terris;
Virtutis quorum iamdudum nomen Olympi
Atria, Phœbeos & vertice contigit ignes
Excelso; vos o terris notissima fama
Sidera, vt auspicijs Mundo verissima vestris

A 2

Relligio

Relligio emicuit nuper Patris vna Deorum,
Perq; suos vos cessit honos, sua gloria Musis
Exulibus, Pindo & pulsus Parnaside luco,
Lux orta est Patriæ gemina & clarissima nostræ,
Vna Dei demissa polo, Lux altera Musæ
Qua remicant læto Bœotia Numina flore.
Et Deus immensa qui prouidus omnia mente,
Mente polos, pontum, terrasq; hominesq; gubernat,
Tanto ideo vos imperio, tanto auxit honore,
Tot populis dedit imperitare, tot arcibus altis,
Tot vestro iussit parereq; mœnia sceptro,
Relligio vt latè vestris clarissima terris
Floreat, hospitio veluti suscepta paterno.
Liberè & vt Phœbus nébulas inuectus Olympo,
Et biga radiante obscuras discutit umbras,
Sic soboles æterna Dei, Patris incrementum
Relligio summi, uobis data cœlitus, vt iam
Liberè eat, vestris cœlestiq; explicet oris
Luce iubar radiante coma, lateq; profundas
Orci Erebiq; fuget terra caliginis umbras.

Hinc simul illa Dei dedit hoc clementia vobis,
Fulmina cum tonitru Tarpeia ex arce uibrata
Temnere, & irati Babyloniea tela gigantis;
Nec curare minas, minimeq; timere furores,
Qui terras aliâs & tot fortissima Gentes
Pectora, & ingentem tot mœnia sparsa per orbem
Irato haud aliter quàm cœlo fulgure terrent.

Hinc vobis mea Musa, Patres, Helycone profecta
Fit supplex, summisq; hoc expetit inclyta votis,
Tuta patrocinio, vestras accepta sub alas,
Vt vestro, euitet Cercopum infanda malorum
Agmina, mortifera ac hinc inde emissa pharetra
Spicula, carpat iter per tot discrimina tutum.

Quid.

Quidqd id est, vestrū est quod muneris offero, vestra est
Hæc mea Musa: nec hæc exhausta hoc Carmine, si iam
Illa placet vobis vultu dignata sereno,
Inclyta vt ingenti efficiet vestra emicet orbe
Gloria iam magis atque magis. Concedite habenas
Eia Patres, vatū celebrandi vestra Camœnis
Nomina, Musarum defendite castra, Helyconi
Vt quondam summi Heroës sine fine fauete.

Vestra Dei semper summo benediçta fauore
Hoc precor, his terris vigeat Respublica, donec
Illa Dei excipiat summo Respublica cœlo
Vos omnes, sistatq; thronos Patris ante perēnes. Amen.

Bernæ Heluetiorum, Anno D. 1585.
20. Maij.

A 3

AETER

*AETERNI PATRIS, ITEM
CHRISTI SVORVMQVE
fidelium Victoria Liber
Primus.*

ARGVMENTVM.

A Patre Deo mali angeli Polo profligantur. Describitur prima primi hominis conditio, & aurei seculi felicitas. Dæmones ira contra Deum incensi, & invidia contra genus nostrum ducti, hominem seducunt. Labitur homo, mors lapsus & dira multa sequuntur. Christus promittitur, & quis sit describitur. Is postmodum sua morte peccatum delet, & sic Satana, inferno & morte æterna deuiçta, homines morti subiectos vitæ restituit, nosq; in æternam filiorum Dei libertatem asserit.



V M M E Pater Diuûm, magni sator
unice Mundi, (tes
O' Deus æternos reſeras qui clauē pena-
Immensa, qui corda notas, nimumq;
profundo

Inquiris ſemota ſinu, penitusq; ſepultos
Scrutaris manes, cui ſidera & extima cœli
Orbita, momenti cuiq; omnia cognita puncto,
Et tenor, & ſeries uenturi immobilis æui:
Eia Deus dominator, & ô Rex maxime Regum,
Eſto meis lux dia oculis, animæq; profundis

Sis illi.

LIBER I.

Sis iubar, emergat quo trans stellata, tenebris,
Atria. Coelesti me Spiritus irriget unda
Sanctus, & ad uiuos ducat mea flamina fontes.

Virtutem cano Christe tuam: mens tota perennes
Ardet Christiadum plectro cantare triumphos,
Victricesq; manus. Totum quæ sparsa per orbem
Herculeas ultra celebrate trophæa columnas
Sancta Dei, Charites coelestia Numina Diuæ,
Carminibus niueos nostris aspergite flores,
Atq; meos uestro cantus decorate lepore.

Nonne meis liceat, prisca ceu prælia uates
Graiugenum cecinere uirum, sacra bella Camœnis
Dicere Christicolæ toto celeberrima Gentis
Terrarum gyro? Si, quam Lacedæmone Xerxes
Accepit, clades, tot cæsis millibus illi,
Vel si Pharsalicos iactans uictoria campos
Tot merita est doctis multo celebrariet æuo
Ingenijs: an non magnum quæ sæpe per orbem
Digna q; quæ Mundi celebretur ad usq; ruentis
Secla, per Europæ Hesperios, perq; edita campos
Arctoos, fato strages nutuq; Deorum?
Qua fera Romulei Gens occubuere Gigantes,
Gens inuisa Deo, sanctos Gens ausa Tonantis
Oppugnare thronos, Gens tota scelestæ profundis
Orci Erebiq; olim cacodæmone nata lacunis.

Roma orbis Regina ruit, quassataq; magnæ
Fundamenta tremunt Babylonis. Ad usq; serenos

VICTORIAE

Arx Tarpeia polos, ad sidera cognita fama,
 Summorum uirtute Ducum, nunc cæde tyranni
 Romulei, bello totiesq; petita Deorum,
 Icta sacri toties urenti fulmine uerbi,
 Terribili trahit ingentes horrore ruinas.

Quare age Calliopea soror pulcherrima Phœbi,
 Quæ quondam Aemathias multum quæsitâ per umbras
 Credita es æternum decus & clarissima uatum
 Gloria, iam prima repetes ab origine tanti
 Et seriem & causas belli, quæis motibus, & quæis
 Europæ indomitis exarscrit orbita flammis.
 Si qua tuum superest erga pia gratia uatem,
 Si tua me prima respectant lumina fronte,
 Ad mea perpetuum deduces tempora Carmen,
 Carmen ab æthereo quod demum Christus Olympo
 Cum ueniet mihi summa dies, & finiat æui
 Vltima currentis Mundo flagrante ruina.
 Incipiam, leni decurrite tramite Diuæ.

EST locus immensus campis, atq; horridus umbris
 Perpetuis, & mille ferax per compita pœnis
 Omnia, Spirituum sedes antiqua malorum,
 Regna tenent illic nigri mœstissima manes,
 Horrentes uultu, queruloq; per atria fletu
 Errantes diris quatiunt clangoribus umbras.
 Incusante Deos fremitu, poscenteq; questu
 Vindictam, gemituq; uices miserante perennes,
 Lurida tecta tremunt. Etenim cum perfida summos

Turba

LIBER I.

Turba thronos, sanctosq; Dei affectasset honores,
Imperijq; adeò iam moliretur habenas,
Ocyus irati ualidas sensere Tonantis
Omnipotentè manus sceptro : nam protinus ausos
Tam dirum tentare nefas fugat æthere ab alto,
Gloria & exutos remicantèq; lumine Diuùm
Vi ualida premit, & fugientibus acriter instat
Multa ira, tandemq; specu Phlegetontis opaco, &
Terroris plena æterni concludit abyssò.

Hos super immense subito coiere tenebræ,
Corripuitq; tremore dolor, cruciatus & ingens
Diuina, qua nil grauius nec tristius, iræ.
Hinc illæ lachrymæ, gemitus, fremitusq; furorq;
Aduersusq; Deos hominesq; ætate piandum
Nulla odium : sed enim quæ prima superbia cæcos
Perdedit, hæc eadem Stygio manet igne sepultos.
Vindictæ exardent studio, sed uincere tantos
Cum uideant se posse Deos nec uiribus, & nec
Fraudibus, iratos acuunt sub mente dolores.

Nec tamen incassum tentata his omnia : cœlo
Ut primùm expulsi horribiles uenêre sub umbræ,
Lucifero duce, post Erebi sed principe magno:
Insueti, & postquam multùm planxere, locorum,
Intendunt neruos iratis mentibus omnes,
Qua regno saltem noceant ratione Deorum,
Quòue astu euincant aliquid. Nec defuit ausis
Materies tantis: tanto & sua semina bello

VICTORIAE

Mox serit inuidiae contagio perfida dirae.

PRIMI homines summi miranda mente Tonantis,
Gloria & insignes Diuum, melioreq; fato
Aurea felices Mundo cum secla uigerent,
Expertem mortis, uacua & formidine uitam
Ducebant terrente animos: Coelestia tantum
Coelestes anime sancto reuerenter amore
Querebant: Amor unus erat, Deus unus, & omnis
Omnium erat menti perfecta scientia rerum.
Mens egressa Deo, nostrae luxq; insita menti
Coelica, diuina pollebat imagine, soli
Huic intenta suos primum quo duxerat ortus.

Integrae uires: sanos uitiauerat artus
Nulla lues; nec enim norant contagia, & acres
Corpora perpetuo firmissima robore morbos.
Ille etate puer, uir corpore grandis, & ore
Conspicuus spirante augustae mentis honorem:
Frons erecta, oculi flammantia lumina, uisu
Acria, caeruleo mirum quam pulchra colore.
Circumfusa comis radiabant tempora crispis
Ardua, quin crocea tenerae lanugine mala
Aurea crescenti dederant primordia barbae.
Iam tum magnanimos etiam spirantia motus
Rite tumescebat prodens praecordia pectus.
Quidue humeros scapulis turgentes, quidue lacertos,
Commemorem, ualido & praestantes robore suras,
Membra malo nimium fato seruata furori

Bellico,

LIBER I.

Bellico, & iniustæ gaudenti cædibus iræ,
Illa ætate infans, costaq; educta uirili,
Sed matura uiro, & primis iam nubilis annis,
Imberbes læuata genas, nitidissima uultu,
Purpureasq; imitata rosas, & lilia uerno
Candida ad undantes florentia tempore riuos,
Incedebat ouans Auroræ clarior igni.
Ore omnes Charites residebant numina Diuæ
Dulcia, nectareos labia effudentia risus
Mille fauos, Veneresq; edebant mille pudicas.
Luxuriare comæ impexæ; per candida fusi
Vbera cincinni pingebant colla decore
Aureo amœna suo: referebant lucida stellas
Lumina sidereas. Scythicæ non pulchra pruina
Fœmora cygnæ nequaquam brachia plumæ
Vicerunt. Non tale decus, tantosq; lepôres
Postea fœmineo in sexu secla ulla tulere:
Quantumuis Phrygia quæsitam puppe Lacœnam
Carminibus prisca extollant trans sidera uates,
Et grauidam iactent Danaën Iouis imbre puellam.
Cumq; essent puri sceleris, uacuiq; nefando
Affectu, & nondum peruersa scientia sensus
Simplicitate pari insontes reserasset acerbo
Luctu, per uirides nudi transcurrere syluas:
Nunc ripas labentis aquæ, nunc lenifluentes
Gramina per, uiridi sub quercu inuisere fontes:
Et soliti recubare rosis, uiolisq; thymoq;

Hæc

V I C T O R I A E

Haud terrente animos aut ludificante pudore:
 Securi uitæ & fati, curisq; soluti
 Terrenis, nullo & districti membra labore,
 Gaudia mille animis, & alebant mille salutis
 Præmia, & in summo æternæ dulcissima uitæ
 Pabula habere Deo. Sed & his commercia sanè
 Spirituum communia erant iucunda bonorum.
 Et ni cœlesti fulsissent gloria, & alti
 Insigni uirtute Dei, ni mentis Olympo
 Duxissent homines primi primordia sanctæ,
 Haudquaquam delapsa sua pia flamina sede,
 Consuescent homines inter uersarier, & se
 Exercere sacris per compita leta choræis,
 Quæis laus dia Dei, melos & cœleste per altos
 Motaret querceta pio modulamine lucos.

S P I R I T I B V S res illa malis expensa perennè
 Digna odio uisa est: agrè hoc grauiterq; ferentes,
 Esse homines Diuûm socios, & fœdere iunctos
 Obstrictosq; Deo per secula cuncta parenti,
 Ira omnes flagrante sîrunt: placet omnibus hostes
 Exitio hos dignos & diro carcere secum:
 Quos ab amicitie rapiendos fœdere tantæ
 Consilio censent uastro, sua quisq; sagaci
 Proponat socijs astu ut suffragia, & omnes
 Huc mentis uires conuertat, ut inclyta summo
 Hæc soboles inuisa Deo reddatur, & acri
 Tartarcas astu subeat deuicta tenebras.

Si uo-

LIBER I.

Si uobis animo fixa est sententia, uel si,
Unus ait, cordi uobis uictoria, primum
Suadeo foemineos falsa sub imagine sensus
Ludificetis: & ut uitæ melioris amore
Excuiat pœnæ uenturæ corde timorem,
Extenuate scelus, uetito ne attingere morsu
Fatales renuat fructus, uiolareq; legem
Diuinam. Tacitè ast uestræ hoc prætexite fraudi,
Indignè hos ipsis præreptos nuper honores.
Et leuis est animi, nullo & satianda decore
Foemina, quæ quo plus habet, et uidet, appetit hoc plus,
Hæc delusa dolis, semel irretitaq; blando
Eloquio, monitis ubi mox assenserit, illam
Hic, quasi nil passam factò, iam sponte sequetur
Ignarus tanto latitantis crimine fâti.
Quàm facile est animos forma florente uiriles,
Foemineisq; trahi uerbis, ubi cœpta Deorum est
Lex sperni, suadetq; nefas concepta Cupido
Pectore. Vix ea fatus erat, cum protinus omnes
Consilia excipiunt hæc tanta loquentis ab ore,
Applausu resonante strepenteq; uoce per umbras.
Lucifero has ultrò partes & supplice defert
Tota cohors prece: suscipiat rem principe tanto
Haudquaquam indignam: quin tanta negotia Gentis
Totius, & solerter agat communis amore
Vindictæ. Egressus Stygia per multa palude
Compita, crudeli tandem citus euolat Orco.

Ille

V I C T O R I A E

Ille ferox animi, & delato letus honore
Sidereas tranare plagas auis ocyus alis
Gaudet, & ad Lunæ rutilos enititur ignes.
Ast ultra uetat ire Deus, Diuumq; beatas
Aut referare domos, aut trans fulgentia cœli
Sidera perpetuas sanctorum scandere ad arcès.

Hic mare, cœruleosq; amnes, terrasq; iacentes,
Atq; infra latè campos, & ab æthere syluas
Despicit, & uario redolentia compita flore.
In medio Paradysus erat pulcherrima quondam
Et terræ & magni clarissima gloria Mundi:
Qua florũ illecebræ, et uolucrum modulamina, qua uer
Temperies æterna, boni qua summa uoluptas,
Omnibus & quacunq; locis iretur, amœnarum
Obuia erat facies rerum: nil quod sibi mentes
Expeterent, uellentq; aures, oculiq; per amplos
Offerri cuperent hortos: nec deêrat odorum
Sparsa per ingenteis uis & fragrantia syluas.

E c c e hac ad Phœbi radiantés splendidus ignes,
Erectus gyro immenso ceruice, trahensq;
Ingentem serpens aliquot per iugera caudam
Ingreditur, tumido & perplexa uolumina fastu
Contorquens, resonis uacuas secat ictibus auras:
Limosa qualis genitus putredine Python,
Diluuij latè terra iam mole relecta,
Insolita specie Gentes & terruit ira.
Intus amore sui, & quo nescio forte decore

Egregiè

LIBER I.

Egregiè sibi blanditur, non tale per omnes
Esse animal sancto conflatum Numine terras:
Nilq; putans sibi par Mundo, sublimia sæpe
Lumina Phœbeos tumidè eiaculatur ad ignes.
Hunc in ab excelso citus irruit athere princeps
Lucifer, & duplici mox pectoris irrigat astu
Intima, & iratos ciet imo corde furores.
Hinc quò transigeret rem tantam comptius, aptè
Intus agens rumpit trehulæ uibrantia linguæ
Vincula, & eloquio perfundit protinus acri,
Noxia & ab nimia audaces dulcedine fauces.

Méne, ait, ignitos oculos circum undiq; gyrans,
Méne hominis forma patiar uirtuteq; uinci?
Nónne meæ immeritò prærepta hæc gloria Genti?
Tempore nónne illo sumus ac ætate priores?
Aut digni minus æternos qui Numine Diuos
Aequemus, Patre cum summo & uersemur ouantes?
Cuncta dolent animo tanta mea uiscera cura,
Meq; mei miseret multum, miseretq; meorum:
Ulciscar mea fata, meaq; incommoda Gentis
Ulciscar: nec enim prius hanc quàm uicero mentem
Deponam, non antè graui dabo lumina somno
Hæc mea. Si uetitos leuis hæc modò scemina fructus
Carperet, atq; auido citius demitteret aluo:
Quò sic æternas misera in se concitet iras,
Et Diuis inuisa suo spoliatur honore.

O' oculis, salue, mulier gratissima nostris,

O' decus,

VICTORIAE

O' decus, ô Phœbi Lunæq; micantior igni,
 Qua ratione tuas celebrem pulcherrima laudes,
 Qua rerum nihil est toto fulgentius orbe,
 Heu mihi quæ formæ præstantia, quanta genarum
 Gloria, qui flores, quæ lilia candida frontem
 Condecorant! ah quæ Charites, quantæ ueroflorum
 Illecebræ insidunt labijs! quid dulcius, ah quid!
 Te sanè immortale Dei genus esse Deorum
 Crediderim, & toto nihil orbe beatius, unum
 Si non hoc uestro saltem inuidisset honori
 Ille Deus: modò fama meas quæ nuper ad aures
 Peruenit, sit certa satis: malè suspicor illam
 Haud uano rumore meo insedisse timori.
 Siccine res se habet, ô dolci dignissima fato,
 Et uita meliore, ah tanto indigna dolore
 Fœmina? Num Deus hoc? Lex hæc'ne est inuida, uobis
 Non erit ex omni uescendi copia ligno?

 Illa hæc haud dubia commota cupidine blando
 Ore refert breuiter contrà: Nos arbore quauis
 Vescimur hoc passim fœtos florente per hortos
 Collecto fructu: sed enim quæ splendida frondes
 In medio Paradyfi alias ante eminent arbos,
 Hæc nobis solùm sacra, qua uetuit Deus una
 Aut gustare bonos, digitis aut tangere fructus:
 Ne qua fortè truci pereamus nescio morte.

 Dirus ad hæc, os Luciferoq; simillimus anguis:
 Mirum, ait, est tali uos immortalia fato

Pectoris

LIBER I.

Pectora, quæ nusquam est, terreri morte futura?
Eia metum uani iam dudum linquite Lethi,
Eia animos tantis iam dudum exoluite curis.
Crede meis mulier monitis, non ulla potestas
In uos mortis erit: nouit Deus ille latentes,
Atq; boni solus tanti sibi detinet usus:
Nouit enim quacunq; die, quo tempore sacros
Manducaueritis media ex hac arbore fructus,
Mox fore sidereo reserata ut lumina uisu
Vestra micent, uos Dijs similes ætate futuros
Aeterna, uirtute boniq; maliq; scientes
Permira. Arripite hanc, quæ nunc occasio præsto est.
Abstergat roseum, mulier, bona causa pudorem.
Quid mora uos retinet? nunc nunc licet esse beatis.
Illa animo suspensa parum, sensimq; remittens
Iam titubante Dei legis sub corde timorem,
Sidereosq; erecta oculos ut inhæsit amœnis
Fructibus, & forma pariter, pariterq; mouetur
Suadentis blando dirum scelus ore colubri.
Fracta dolis, & uicta cupidine, lapsa furore
Succumbit tandem culpæ: folia arboris inter
Mota tremunt digitos, nudantur scœnore rami
Mortifero: Hic arbos uiolata, & in arbore fructus,
Et fructu uiolata Dei est lex sancta Deorum.
Hinc mors cum uetito descendit in inguina fructu.
Nec sat erat perijsse uni, si fata maligno
Vnius exitio saltem satiata fuissent:

B

AS

VICTORIAE

Ast idem uitæ primò quos iunxerat ortus,
 Quos arctè lex una thori copulauerat ambos,
 Hos minimè auulsos à se patiuntur, & iisdem
 Fata Deum mortis constringunt æqua catenis.

 Illa uirum æterno secum dat foemina letho,
 Præcipitemq; trahit gemino sub Tartara luctu,
 Simplicitas genuina perit, reserantur amaro
 Lumina dedecore: & roseo nudata pudore
 Membra patent: nudum mulier stupet esse maritum:
 Ille suæ nudos miratur coniugis artus,
 Artus sepe prius, sed non hoc crimine uisos.
 Causa latet primùm: sceleris sed conscia tanti
 Corda ferit lex sancta Dei: timor arguit, & mox
 Degeneres animos prodit stupor. Ira Deorum
 Insequitur: latebras illi, densasq; requirunt
 Tutius ut lateant tanta formidine, uepres.

 Ast utcunq; tegant teneris suamembra salictis,
 Pube tenuis folia affigant uiridantia ficus,
 Mors comes est æterna fugæ: nihil inter amœnos
 Iam tutum frutices: suspecta his omnia: cœlum,
 Et terra, & miseris mare cuncta aduersa minari.
 Nulla quies animo: iam lenisonante strepentes
 Flamme ubiq; auræ nemorosa per auia terrent.
 Aemonia quales cerui iuga florea sylua
 Alipedes trans summa uolant, leuis instat & urget
 Venator torquens curuo Cydonia cornu
 Spicula: Thessalicos illi cursu alite saltus

Trans-

LIBER I.

Transmittunt, strepitus arrectisq; auribus omnes
Excipiunt: teneros lethalis arundo per armos
Transfixa imbelli ferit agram pectore uitam.

Nos quò decidimus? proh quàm breuis ore uoluptas,
Verùm ingens sub corde nefas, nos nostraq; fato
Tam diro, & magni pessum dedit omnia Mundi
Semina, ut extrusis Paradyso, & honore Deorum
Exutis, penitus timor undiq; & undiq; Erinnyis
Ante oculos uersetur, & atræ mortis imago.
Vt simul emensi lacera hac immensa carina
Aequora, tot Scyllas præteruectiq; Charybdes,
Naufragia & misera tot passi heu tristia uita,
Horrendum specubus tandem ploremus opacis:
Ultima & in Stygia post fata palude natantes,
Horribiles squalore locos, sub frigore & aestu,
Subq; igni aeterno Phlegetonta habitemus acerbum.

VICTOR ouans strepitu ingenti, resonoq; tumultu
Atria magna petit, loca foeta gementibus umbris,
Lucifer, heu longos è nostra cæde triumphos
Ducens, humanæ affigit spolia optima uitæ
Pariete Tartareo. Nigri mœstissima manes
Turba uago complent horrenda cubilia plausu,
Et mirum reduci quanto gratentur honore.
Iam postes ualuaeq; tremunt: mugitibus umbræ
Concussa reboant latè: circum undiq; fusæ,
Et glomeratæ omnes nigro letæ agmine larvæ
Diuersa de sede ruunt, stipantq; frequentes

B 2

E He-

VICTORIAE

Et Herum, & optato uictorem Marte superbum,
 Audite o summo crudelia flamina caelo
 Pulsa, sub immensas agitati ex arce paludes
 Sideribus lucente, hostes Diuumq; hominumq;
 Vindictae explestis, diraeq; cupidinis iras?
 An ulti satis? an uestra haec infamia nostro
 Dedecore, aut poena est saltem lenita dolore?
 Quid morti addictos iuuat in tot pallida mortis
 Funera, quid reprobos reproborum in dura tueri
 Tormina? quidue iuuat morientes mortis imago?
 Inuidiae iusta haec poena est appensa statera,
 Appetat alterius proprio ut mala fata dolore.
 Tempus erit uobis, & ineluctabilis olim
 Illa dies fato adueniet qua, uindice, postes
 Inferniq; lares, imo sub gurgite, dextra,
 Atq; ardens Phlegeton, Orcusq; Erebusq; tremiscent.
 Lucifero quoq; tempus erit, quo optauerit emptum
 Intactum magno nostrum genus: oderit & quo
 Hec spolia, hancq; diem, qua nos sub Tartara captos
 Misit, & in miseros sua probra effudit & iras.
 Hinc primum ingentis sunt ducta exordia belli,
 Germinat & lata multis propagine seclis
 Lis, uilis magna non raro exercita pugna,
 Lis qua uis Satanae fracta est, iusq; omne furenti
 Ereptum uictore Deo, ius quo sibi Gentes,
 Mille & ab his diro deposcit carcere poenas.
 Lis hinc orta suas quae nostro saepe fauillas,

Et fre-

LIBER I.

Et fremitus bellorum, atq; arma resuscitat æuo.

Sancta uices cœlo doluerunt flamina nostras,
 Ob casus sociorum, ob ruptaq; fœdera: & alti
 Commiserante Dei complerunt atria luctu
 Lucida: agensq; nouas nouus alto tramite bigas
 Occuluit mœsta faciem caligine Phœbus.
 Pallent sidera, languenti uires cœlorum
 Mœrore affectæ lugent. Micat ignibus æther:
 Terribili in tonitru perterrent fulmina terram:
 Et pluuiæ, & mista reboantes grandine nimbi
 Nubifero axe ruunt: mugit latè undiq; Pontus,
 Campiq; montesq; alti, saltusq; ferarum.

Rupta polo tantos mouit Natura tumultus,
 Nilq; aliud toti uisa est portendere Mundo,
 Quam tanta euersa miserandas mole ruinas.
 Hinc ansam morti malè iuncta Elementa dederunt.
 Hinc mille interitus causæ, iam milleq; pestes
 Aër gignit, & hæc terræ euomit orbita morbos.
 Hinc sua crudeles iam uoluere stamina Parcæ
 Incipiunt: hinc exundant immensa malorum
 Aequora, et heu tandem breue quæ, Mors, finiet æuum.

Non passa est æterna Patris clementia summi,
 Non est passus amor, quo nos ante omnia Mundi
 Organa dilexit Pater & Deus ille Deorum,
 Occidere hanc sobolem, huic illudiq; hoste superbo,
 Huius & imperio astringi per secula diro
 Omnia, quam sanctæ repleffet semine mentis,

VICTORIAE

Hancq; suæ ad speciem formasset imaginis almam,
 Ipsius hæc equidem sententia primitus ore
 Excidit, et sanctis multum stabilita Prophetis,
 Cuius nec puduit uates meminisse Sybillas:
 Tempus erit quo lux Mundi eluctata per umbras,
 Et Verbum Patris, et Soboles, Sapienciaq; alti
 Adueniet demissa polo, inuisetq; profundas
 Ille Deus sancta uerus de Virgine, terras,
 Eq; Deo multum dilecti stirpe Davidis
 Factus homo uerus, maculae expers atq; nefandi
 Criminis: ut populos æterna morte fideles
 Eripiat, Satanæq; eductos carcere, ad alti
 Euehat usq; poli, radiantia culmina, sedes.

CHRISTVS is est, decus omne suis, æterna Tonantis
 Progenies, et imago Patris uerissima summi,
 Rex Regū, Deus hic Diuum, et Dominus Dominorum,
 Per quem fundata est mirandi illa orbita Mundi,
 Per quem sublimi decurrunt tranite Phœbi
 Aurea equi flamma, et radianti pallida biga
 Voluitur astra inter, minima inter sidera Luna.
 Per quem Spirituum uiuunt cita flamina, per quem
 Omnia sunt cœlo, terraq; mariq; creatâ,
 Naturæ magnæ et cunctarum semina rerum
 Mixta per hunc orbem, et uarijs latè insita formis.
 Hic est quo erumpunt gelida scaturigine fontes,
 Et quo fundit humus uirides, sua gaudia, flores,
 Et lachrymant teneræ dulcissima pocula uites.

Triticis

LIBER I.

Triticeis pallent quo campi messibus, & quo
Luxuriant per prata, per altos gramina montes:
Quiq; niues creat, atq; imbres, & frigora & æstus,
Atq; diem noctemq; suo cursu instruit atram.
Hic est per quem sunt, in quo sunt omnia, & in quo
Viuiamus, hic cunctis uitam dat cœlitus omnem,
Aeternus Deus, & Saluator Christus Iesus,
Verus homo sancta Maria de uirgine factus.
Hic summo in tenebras terrarum uenit olympo
Carne hominis uera, Patris inuiolabile Verbum,
Lux Mundi, Lux Spirituum, Lux Gentium & ingens
Lux anima, uia Lucis, & hic Lux una uiarum,
Per quas ad superos patet ardua semita Diuos.
Ille quies mentis, spes, & pax unica nostræ est,
Vna salus, fons & uitæ scaturigo beata,
Vno quo latices, & uiuæ cœlitus undæ,
Nectarei q; rigant arentia pectora riui.
Qui nostras sancto fœcundat flamine mentes
Solutus, & ut patrias orco deducat ad ædes,
Ante Patris proprio nos purgat sanguine uultus,
Solutus is est unus nobis quo uiuimus, uno
Et quo sidereo tandem uiuemus olympo
Corporeis exuti umbris, durisq; soluti
Carceribus, terrenæ & fœcis originis atræ.
O decus omne tuis, ô gloria, quo sine nulla est
Vera animo toto tota Sapientia uita,
Extra quem non ulla salus, nec portio uitæ est,

VICTORIAE

CRISTE Deus nostræ solùm uerissima menti
Gaudia, & æternos qui solùm infundis honores,
Eia fide sancta, nos instrue flamine sancto,
Redde Patri charos, inscribe uolumine uitæ.

Ergo suam ut uitæ æternam Sapiencia Lucent
Illa Patris diuina Deum, terræ intulit umbris;
Et quo siderei quærendi calle penates,
Quæ uia sit per quam detur ansa palatia Diuum
Ad summa, è diræ remeandi mortis Auerno:
Quæ uic boni sit summa, fides quæ certa, fideli &
Proueniant animæ Patre Diuum præmia summo,
Diuino edocuit Iudæas flamine Gentes

CRISTVS, ut æternum sanciret sanguine foedus
Hostia pura suo, Patris inter Numen, & inter
Nos mortale genus, Satanamq; euinceret hostem,
Effractisq; Erebi crudeli in carcere ualuis,
Eriperet domito tandem sua spicula Letho,
Obtulit ipse crucis se iam moriturus in ara.

Immensas anima pœnas persensit Auerni,
Pro scelere immenso Mundi: grauis ira Parentis
Perculit ab tanto moriens sub pondere pectus,
Ille dolor tantus, tantus pavor ille, cruoris
Ut roseas corpus guttas effuderit atri.
Hinc premit ira Dei, premit illinc pœna futuri
Iudicij, & medias penetrant tormenta medullas,
Tanta quidem, quanto æternis crucianda dolore
Ignibus, & piceo torrenda hæc nostra sub æstu

Ante

LIBER I.

Ante Dei iratos ah uultus membra fuissent.

Quos tulit insultus! quæ uerbera, quæ mala lingua
Opprobria, atq; oris proh sputa impura nefandi!
Ah teneros quanto punxere flagella dolore
Artus! quo gemitu, quibus & cruciatibus, & qua
Spinea cum poena est ceruici impressa corona?
Sancta cruci tandem post membra affixus, & alto
Ah teneras clavis terebratus stipite palmas,
Perfossusq; pedes horrendum mortis agonem
Sensit: & hinc animam crudeli in cæde profuso
Infontem emisit, uita fugiente, cruorem.

Horrebat Natura necem, mutataq; cœli
Machina languenti replebat sidera luctu.
Nec tulit horribiles aspectus mortis aperto
Turbatus cœlo Phœbus, tectusq; serenas
Nocte comas, spissa & faciem caligine pressus
Ingratae nimium inuidit sua lumina Genti.
Et scissæ petrae, & tremuerunt uiscera terre,
Horrendum ingenti duræ cautesq; fragore
In medium ruptæ, Mundi scelus atq; dolores
Tanta in morte truces testantur, & omne stupendo
Exuperans errore nefas, quod perfida summum
Gens uiolare Deum, Gens alto affigere ligno
Ausa sit æternum Regem Diuumq; hominumq;.

Exultate poli, radiantes splendide bigas
Eia per æthereos rutilas age letus habenas
Phœbe sinus. Gaudete chori cœlestia Diuum

B 5

Flamina,

VICTORIAE

Flamina, ouate homines mortalia pectora, dulci
Iubilo & hinc letas ad sidera tollite mentes:
Vincit homo Christus, qui ui penetravit Auerni
Mortis ad usq; specus uictor, uictriceq; signo
Mox crucis oppugnans irrupit limina, & atros
Protinus inuadit uasto sub gurgite postes.

Late immensa gemunt, tristi concussa q; fato
Atria, discerptæ resona ualuæq; ruina,
Horribilesq; cient portæ per lata tumultus
Compita. Sese abdunt manes horrore trementes
Ingenti, & toto trepidatur uortice: summa
Non aliter quàm cum cœlorum ex arce fugati
Olim Tartareas miseri cecidere sub umbras.

Lucifer ante alios solio ruit impius alto,
Et socijs regnoq; timens, ne fortè potestas
Concideret sua per latas extensa paludes,
Consistit modò, mox iterum fugit, aut iterum stat,
Aut latebras subit, aut prodit, solitosq; sagaci
Versat mente dolos, timideq; incursum at umbris.

Carne tamen minimè Stygias accessit ad umbras
Christus homo, horribilesq; specus, nec corpore sancto
Attigit umbriferam, loca sulphure olentia, uallem:
Vis fuit hæc mortis sanctæ, quæ dura dolores
Tartareos animæ inflixit, tanta illa profusi
Sanguinis in media uirtus & morte potestas:
Disijcit hac Stygias Christus funditq; phalanges,
Vimq; illis cruciandi animas, nostrisq; fruendi

Corpori

L I B E R I.

Corporibus, uictisq; audaces eripit iras
Demonibus. Dominandi in nos immensa libido
Mente infixæ manet, contra & spes impia Gentem
Coelicolam: sed spes miseros frustratur, ubi omnes
His fractæ uires, quibus antè audacius usi
Terrarum aduersus populos, Gentesq; prophanas.

Hoc casu, & duro crudelia flamina fato,
Et tantis affecta malis, iraq; doloreq;
Ingeminant piceis suspiria tristia claustris,
Ingentes mugire specus, & flebilis amplos
Per campos plorare Echo, turbataq; Ditis
Regia terribili tremere ima mole tumultu.
Non aliter quàm si populosa in mœnia uictor
Irrumpat, ferroq; uiam sibi sternat & igni,
Excussioq; altas effringat cardine portas,
Iam muros turresq; imis è sedibus actas
Deiciat sonitu tremulo & reboante ruina,
Luctus ubiq; pauor, & plurima mortis imago
Sese oculis offert: muliebris ad astra ululatus,
Itq; uirum clamor cœlo: timidæ undiq; matres
Dilaniatæ in morte comas, pueriq; puellæq;
Et timidi effugiunt per deuia plurima ciues.

CHRISTVS at antiquum magna uirtute colubrū,
Hostem illum, qui nos Paradysi perfidus horto
Perdiderat, stantem contra multumq; minantem
Exiit his spolijs, secum quæ splendida nobis
Detracta in Stygias Serpens auexerat umbras,

Hæc

VICTORIAE

Hæc aufert. Hinc mortifera lethea pharetra
 Spicula, & ignitos ualida ui diripit arcus,
 Quos hostis ferus in nostras intenderat antè
 Innumeris animas telis. O' Christe salutis
 Vnica spes & fons nostræ, te quanta baratri
 Tormina, & immanes uictore euasimus iras!
 Te duce, si qua manent sceleris uestigia nostri,
 Irrita perpetua soluent formidine terras.
 Te duce stelligeri nobis patet ardua coeli
 Regia, iam certi uitæ, certiq; uiarum
 Rectarum migramus ad astra micantia letis
 Mentibus: umbrifera lachrymarum hac ultima ualle
 Non retinent nos fata, nec extera mortis imago.

O' animæ fidei plenæ, nullæ amplius iræ
 Vos Satanae, aut moueant huius fata ultima uitæ:
 Hoc dubium creptum uobis, incerta uagari
 Per loca non opus est: semel hoc è carcere, & umbris
 His tandem emissas uos ad cœlestia Diuûm
 Transferet ille Pater sua mœnia, ubi omne malorum
 Et genus, & uitæ cessabit imago prioris.

O' Christi soboles tantis exercita pugnis
 Hoc æuo, Mundi totiesq; petita furore,
 Militiæ consors sanctæ, quid certius, aut quid
 Dulcius ante Dei sanctos quàm uiuere uultus?
 Hæc loca certa tuis eademq; aptissima uotis:
 Quæis lux magna Dei æterno fulgore coruscans,
 Quæis summi dulcedo boni, quæis gloria cornu

Diuite,

LIBER I.

Diuite, perpetuo te reddet honore beatam.

Mors domita est uictore Deo, ceciditq; superbi
Hostis inulta diu tandem iactantia nostri.
Flent ira, & mœrore graui socia agmina manes,
Nigraq; tota sonant lachrymante palatia questu:
Dignum equidem ut malè parta malo dilapsa dolore
Dispereant, generentq; malos mala gaudia luctus.

Iam super Eoas euexerat aurea terras
Purpureas Aurora genas: hanc inclyta leto
Insequitur Phaëthonte dies, quæ tertia Christi
Post mortem illuxit toti clarissima Mundo:
Hac Erebi & Satanae domitor rediuiuus aperto
Sub cœlo emicuit, claraq; in luce refulsit
CHRISTVS homo, uitam, spolia inter opima reducēs,
Christiadum, æterna deuicta morte, perennem.

Cruce mortis, mors immensi fœcunda doloris
Vicit in æternum mortem, cruxq; alma dolores
Inferni: Cruce palma uiret, uictoria morte
Splendida, perpetuos quæ ducit ad astra triumphos,
Emicat: Aethereaq; domo, qua regia luce
Fulget summa Dei, statuit cœleste trophæum:
Quod non præsentis, non ulla iniuria secli
Venturi, nec edax aboleuerit ulla uetustas.

FINIS LIBRI PRIMI
VICTORIAE.

VICTO.

VICTORIAE LIBER
Secundus.

ARGUMENTVM.

Post Domini resurrectionem, & in cœlos ascensum, Discipuli inter se terras partiti, toto orbe terrarum Euangeliij lucem propagant. Gentes Christo lucrifaciunt. Idola undique ruunt. Hoc grauiter ferentes Dæmones, inter Gentes scilicet regnum suum labefactatū concidere, illas contra sanctos concitant. Hinc persecutiones ortæ. Verū inuicta Ecclesia insultus omnes fortiter sustinet, & suo floret sanguine. Depingitur hinc uera Ecclesia multis suis signis, quæ uidelicet illa sit, & qualis olim fuerit, & non fuerit. Vbi obiter nonnulli errores Papistici notantur & confutantur.



XVLTATE Poli suprema palatia Di
uum,
Spirituum gaudete chori, uestra cia mi
cantes

Sancta domos quatiant & amœnas iubila sedes.
Multa per innumeras sanctorum millia terras,
Hi socij, malus heu nuper quos abstulit error,
Aduentant uestri, crudelis iure soluti
Iam Domini, ut patriæ communia gaudia uestræ,
Vobiscum & captent placidam per cuncta quietem
Secula, nectareo perfusi membra liquore.

Et uos ô Gentes hinc inde per omnia Mundi

Climata

LIBER II.

Climata dispersæ, quondam crudelibus umbris,
Et Satanae imperio abreptæ, lux magna, profundo
Ad uos sancta Dei sapientia uenit olympo.
En uos consortes uitæ Deus ille Deorum
Euocat umbrifera, cœlestia ad atria, ualle.
Num quid dulce fuit Satanae seruire nefando
Hosti, aut mortiferas inter uersarier umbras?
Nunc sit dulce Dei sub cœlica sceptrâ uocatis
Ambrosias gustasse dapes, libasseq; Diuum
Nectareos, inter dulcissima gaudia, fontes.
Mellis ubi latices, suauiq; nitentia lacte
Flumina perpetua scaturigine nostra rigabunt
Corda: Dei bonitas erit hæc, quæ summa nitentes
Lactis opes, longeq; fauos æterna Sicanos
Euincet. Properate homines ad dulcia uitæ
Pocula, cœlesti Patris emanantia sede.

Iamq; Dei multos hoc nostro climate soles
Filius, & uicta rediuiuus morte, Ereboq;
Perdomito, longas terris exegerat horas.
Sape suis uisus, quos cœlitus antè uocatos
Esse sui uoluit per latum nominis Orbem
Præcones, certosq; per omnia secula testes:
Qui latè Verbo discussis orbe tenebris,
Allicerent Gentes epulum ad cœlesti prophanas,
Inueherentq; amplo cœlestia lumina Mundo.

His ubi magna sui eloquij mysteria CHRISTVS,
Et dias reserasset opes, se ad summa recepit

Atria,

V I C T O R I A E

Atria, cœrulea liquidum super aëra nube
 Vectus, ubi longè trans astra micantia dextram
 Ad summi Patris accessit, summoq; locatus
 In solio, cœli summa uirtute profundi,
 Sustinet & regimen terræ: quem, flamina, summum
 Ante thronos Regem, sua, maiestatis adorant:
 Quem uotis homines, precibus quem cuncta requirunt,
 Viuentesq; animo Mundo, atq; expertia sensus:
 Quo regitur solo terras dispersa per omnes
 Grata Deo soboles, afflata Ecclesia sancto
 Flamme, & à summo selecta Tonante priusquam
 Res essent ullæ, nec terra, nec astra, nec undæ.

Discipuli interea Solymas ingrata reuisunt
 Mœnia: & unanimes una cum sede laterent
 Intenti precibus, summis promissaq; uotis
 A summo expeterent sibi mitti munera Christo,
 S P I R I T V S excelso subito delapsus Olympo
 Sanctus in hos mira uirtute illabitur omnes.
 Et flammæ ardenti, rutiloq; simillimus igni,
 Mox animis nebulas fugat, & quæ saepe, profundas,
 Inuoluunt oculos mentis, ualidè eruit umbras:
 In quarum subiere locum coelestia uitæ
 Lumina, & æterni Virtus clarissima Verbi,
 Et linguæ innumerae, quarum est amplissimus omnes
 Per terras usus, queis pandere Gentibus almæ
 Arcana, & callem possent monstrare salutis.

Inter se certo partiti hinc ordine terras

Flaminis

LIBER II.

Flaminis instinctu sancti, quo quisq; per amplas
Sæpe tuba incepit cœlesti clangere Gentes.
Protinus ingenti redijt lux aurea Mundo,
Illuxitq; iubar suprema ex arce Tonantis,
Fax, quæ tot latuit, uitæ pulcherrima, seclis,
Hoste animis erepta hominum, discussaq; diro
Antè umbris Satana latum regnante per orbem.

Iam falsos coluisse Deos pudet: undiq; templis
Iuppiter, & soror & coniunx fera Iuno fugantur,
Dijq; Deaq; omnes: Claudus fâber, & Venus alma
Marte proco effugiūt. Magno claua Herculi adēpta est,
Virga sato Maia, lyra Phœbo, uitta Mineruæ.
Acta suis idola ruunt de sedibus, aræ
Dirutæ, & innumeris depicta minora sacellis
Numina uana leues derasa abiere sub umbras.

En tibi progenies ô magni dia Tonantis,
Bella per Elysios iam dudum concita campos,
Bella parantur, & indomiti certamina Martis.
Arma parant hostes, immania monstra, sub orci
Limitibus, dira arma acuunt ensesq; nefandos:
Queis uestrum fundant per plurima regna cruorem,
Et queis germanos in mutua uulnera fratres,
Atq; patres animent gnatorum in funera, matres
Ut sua crudeles dent dulcia pignora letho:
Filie & aduersus matres, gnatiq; parentes
Coniurent: ne quis sit fidus amicus amico.

Intonat & medijs feruenti ira æstuat umbris

C

Lucifer:

V I C T O R I A E

Lucifer: ò socij quæ nos infamia, quæ nos
 (Ah pudet effari) immeritos sors obruit ! ah quò
 Declarem gemitu indignos, quo nomine nostros,
 Aut tantos tester lachrymarum flumine casus !
 Heu uicti, infames, obscuro uiuimus: & iam
 A' paucis aliquot clades hæc nostra per orbem
 Spargitur ingentem. Vereor, qua fraude doloq;
 Fortè subolfaciant ne tanto turbine Gentes
 Tot sint elusæ seclis. sicq; amplius aras
 Nulla sacro aspergat iam sanguine uictima nostras.
 Deficiunt populi, miseris quid deniq; restat,
 Quàm nostra ut toto tandem misere exulet orbe
 Relligio ? Nisi fax prima hæc sopita fauilla,
 Tanta lues primo fuerit ni hæc eruta flore,
 (Mens meminisse horret) quà latè terminat orbem
 Oceanus, Gentes ibit diffusa per omnes,
 Corripietq; suo latum molimine Mundum.
 Principijs obstent prudentia pectora noxæ,
 Noxia ne ferat his tristem experientia finem.

Siccine uos socij, sic nos patiemur inultos
 Ludibrio esse homini, quem fraude subegimus, & quem
 Imperij iuga ferre coëgimus horrida nostri?
 Hui pudeat tandem fortes ingnobilis otii,
 Hui pudeat toties tentatos hoste timoris.
 Ite leues socij, Beemoth, Sathaël, Leuiathan,
 I Paymon, Samaël, uolucerq; Maaymon alis,
 Vosq; duces reliqui quibus est uis magna nocendi.

Queisq;

LIBER II.

Queisq; plagæ magni commissæ hinc indeq; Mundi:
 Quos super Eoas, Austri, Phœbiq; recessus
 Occiduos, super Arctoi & quos littora Ponti
 Constitui uigiles, ad munia uestra reuersi
 Et terras tenebris, Furijsq; inuoluite Gentes:
 Ut rabie impulsî indomita, de Gente Tonantis
 Supplicium sumant uel ferro aut igne cruentum:
 Vtpote quæ malesana noui noua semina cultus
 Spargere, & ausa Dijs sit bella mouere uerendis:
 Quæ uiolet simulachra Deûm, quæue unica Mundo
 Exitij sit causa mali, quibus omnis inudent
 In terras generis crudelia fata Deorum.

Sic ait. Illi omnes gemitu fremituq; dolores,
 Testantur Nemesesq; suo cum principe diras.
 Flammiferi emergunt Orco: pars Isidis alta
 Tempia petunt, magnamq; ad Nili flumina Memphim:
 Pars Clarios latices, celebres & Apolline Delphos:
 Pars Ephesum & magnæ uolat in delubra Dianæ.
 Quæq; cohors orbis partem, sibi quisq; sacellum,
 Quisque urbem, aut templum quærit, sumitq; tuendam
 Aut Iouis, aut Veneris, miseri statuamq; Priapi.
 Pars responsa dabant antris, tripodasq; mouebant,
 Aut ima sub sede lacus fontesq; sonoros:
 Pars extis uentura effingere fata solebant,
 Et sua præstigijs miracula texere falsis.
 Sic nullo Paphiæ maduerunt imbre Diones
 Atria, computruit sic uictima nulla Mineruæ,

VICTORIAE

Musca nec Herculeas Romæ peruasit in aedes.

Ast alij aërij, quibus est ocysima uirtus
Fallendi humanas imo sub pectore mentes,
Sæpe frequentabant aulas, & splendida Regum
Atria: seq; animis Procerum mirè insinuantes
Authores sceleris consultoresq; nefandi
His aderant, & bella horrenda necesq; ciebant
Christiadum contra, terræ quæ se orbita magno
Oceano claudit, dispersos undiq; cœtus.

Oestro acti Reges terræ populiq; furorum,
Supplicia, & roseos fundendi arma apta cruores
Infinita parant, crudeli ut territa morte,
Horrendisq; adeo sanctorum pectora pœnis
Deficerent euicta, Deo: Christi q; relicta
Religione sui, impuris sua sacra litarent
Demonibus, colerent falsorum idola Deorum.

Sed stetit hos omnes obnixa Ecclesia contra
Insultus Satanae, Mundi q; inuicta furore.
Non aliter quàm si nemoroso in monte, sonanti
Irruat in letas uentorum turbine quercus
Agmen, & aduersas ex imo uertice frondes
Sternat humi, premit hæc Aquilo, premit Africus illac,
Ingentesq; cient Eurusq; Notusq; procellas:
Illa sua radice tenax pulcherrima sylua,
Sylua minas, spernitq; furentes agmine uentos,
Sed gemit, & trepido sonitu exagitata remugit:
Sic equidem Furias tulit alma Ecclesia Mundi,

Territa

LIBER II.

Territa saepe minis Satana, tot passa Neronum
Iurgia, sanguineas inter, crudelia, caedes:

Saepe petita malo, sed nunquam euersa furore.

Hac quassata tremunt ramos, nutatq; supremo

Vertice, firma sua & radice immobilis haeret.

Hac intemperies, non hic furor improbus illam,

Errorum non hanc Erebi caligo reuellet

Perfida: Siderea Christi firmissima Petra

Despicit irato correptas Demone Gentes:

Non aliter quam si iaculatos nubibus ignes,

Et cita contemnat Marpesia fulmina rupes.

Hanc tria perpetuo manantia sanguine secla,

Non hanc tot mortes, non tot spectacula, foedas

Hanc inter uicere unam, pallentia, caedes.

Non Scyllae, non tot sanctam absorpsere Charybdes,

Suffultamq; manu Patris omnipotente Deorum

Non unquam mersere suo Syrenia cantu

Agmina, mellito blandè resonantia plausu.

Nil potuere minae, nil Caesaris arma nec irae.

Obtusa est acies ferri, uis fractaq; flamma,

Lassataeq; ferae potius, dentesq; leonum

Attriti, quam firma sacro sanctissima cultu

Passa sit aeterno sponsi saluantis amore

Sponsa sui se ad Tartareos auelli hymenaeos:

Stirpis & inuisae fastus quam ferre superbos,

Nunc igni, nunc torqueri sub frigore summo.

O soboles inuicta, Dei Patris inclyta magni

VICTORIAE

Vna columba, oculos mentemq; simillima Christo.
 O' Phoenix ales pulcherrima, picta decore
 Sidereo, æthereis ornata coloribus alas,
 Cuius flammiferas uoluit cœli orbita stellas
 Gratia, humusq; suas pandit lætissima frondes,
 Spiceæ & optato flauescunt fœnore messes:
 Regna tibi magno tibi regna parantur Olympo,
 Quo patria est, quo sole decus fulgentius, & quo
 Mensa Patris bonitate ferax, quo tanta fruendi est
 Maiestate Dei, & sancto indulgentia uultu,
 Ut nihil hac uita, nihil hoc sit honore futurum
 Dulcius, æterna nil sede beatus unquam.
 Nunc equidem sub sole genas exusta flagranti es
 O' Christi pia sponsa Dei, post ultima cœlo
 Fata sed angelicas imitabere candida formas.
 Spineæ & ut frontem pungunt hoc orbe corollæ,
 Sic radians iubar, & miranda decore corona
 Lucida perpetua tua cinget tempora uita,
 Ante thronos, Diuum Patris anteq; Numina magni,
 Ante tuos hostes Decios, atq; ante Nerones.
 Hæc est quæ sequitur uexilla Ecclesia Christi
 Solius, hæc fidei solum fert arma beata.
 Hæc innixa cruci, sed spe suffulta futurae
 Sortis, & æterno Verbo hæc animata Tonantis,
 Flamminis atq; imbuta sacri uirtute tyrannos
 Ridet, & horrendos cruciatus mortis ouanti
 Mente subit, meliore sui trans sidera parte

Mox

LIBER II.

Mox abitura, suo duce mox uictura supremo.

Ah quæ nunc terra est nostri non plena laboris?

Flumina quæ nostros age non hausere cruores?

Qui campi nostris tandem non ossibus albent?

Et nostro quoties Tyberini sanguine pisces,

Et Rhodani latices, rubuere & Sequanæ arenæ?

Nulla ferè tantæ terrarum expertia cedis

Compita: sint Itali testes, sit Gallia testis,

Extremiq; hominum sub sideris axe Brytanni

Arctoi. Non hoc caret India sanguine, quæ se

Florida ad Hesperios Ponto exerit insula soles.

At Dominum testor cœli terræq; potentem,

Et te qui nostros uidisti Phœbe dolores,

Vosq; ignes magni clarissima sidera testor,

Nos ueram seruasse fidem, coluisseq; sanctum

Relligione Deum uera, nos criminis huius

Insontes fuisse animam, fuisse cruorem

Experti Decios, tot passi hoc orbe Nerones.

Sed bene cum primum nostro cœpere rigari

Sanguine, & aspergi ceu sacro semine terræ,

Ver sanctum emerfit, placidoq; Ecclesia flore

Emicuit magis atq; magis: Palmæ instar amœnæ

Sub cruce uernantes mox uisa expandere frondes,

Uberiore omnes contexit palmite terras.

Hinc fidei lato fructus maturuit orbe,

Cuius ut ambrosiam spirans fragrantia Mundo

Est diffusa, sui magno deuinxit amore

VICTORIAE

Oenotriam, & Macedū, reliquas & in Hellade Gentes.

Feruet amor ueri, sonitu coelestis aperto

Buccina saluifici clangit mysteria Christi.

CHRISTVS ubiq; sonat: uero sanctissima cultu

Relligio, falsos nunquam mentita colores,

Smigmate nec fucata genas, minimeq; prophanis

Commentis exorsa suam nitidissima formam,

Erigit humanas trans astra micantia mentes.

Queis pultanda modis supremi limina Patris,

Queisue petenda Poli sit regia lucida habenis,

Edocet, assertosq; umbris cœlo inuehit alto.

Vna fides, sancti gregis & spes una salutis,

Vna erat ad superos penetrandi semita Diuos.

Et uelut è pura fontis scaturigine, puræ

Deriuantur aquæ, sic Verbi è fonte uerendi

Limpido in apricos stagnantia flumina colles,

Consortes fidei errorum sine fæce bibebant.

Hoc erat una homini credendi regula uerbum,

Et modus, & uia uiuendi. Nec Numina quisquam

Sanctorum ueneratus adhuc aliena relicto

CHRISTO, deuotas male ad astra extendere palmæ

Nec quisquam uetitos sanctis adoleuit honores:

Nec uisa est puris aut ara uel insula templis,

Gentileis referens nugas nec imago: nec usquam

Ignem resulgebant sacratæ lampadis ædes.

Horrifono nusquam reboarunt templa ululatu;

Nec uisæ pompæ gemmis auroq; micantes

Aut stre-

LIBER II.

Aut strepere, aut sacri tractare negocia uerbi.
Nulla nec humanis insedit opinio Missæ
Mentibus, è uario miserè hæc composta colore
Non intemperies, non hæc uesania quenquam
Exegit studio infando, ac errore stupendo,
Mille nouos magica qui quadam intenderet arte
Sæpe creare Deos, alios aut cudere Christos:
(Vestibulo fidei impietas heu scæda facessat)
Imposita atq; aris toties Christi alma litare
Membra. Nemo unquam sanus rationeq; pollens
Credidit esse Deum panem, inclusumq; teneri
Cistella, qua sit precibus uotisq; petendus.

Nemo suis uitam ascripsit uirtutibus, uni
Cum Christo uitam, et cœlestia munera sancti
Flaminis, æternæ ferrentq; accepta salutis
Gaudia. Sed uera nihilominus inclyta Christi
Gens instructa fide, ad liquidas ceu fertilis altæ
Arbor aquæ ripas, foecundos, diuite, ramos
Valde onerata, bonos promebat, palmite, fructus.

Vna fides, lux una hominum, spes una piorum,
Tu bone Christe tuis sanctæ certissima uitæ
Regula eras, et eris semper, te prisca per omnes
Floruit æterno doctore Ecclesia terras:
Emicuit duce te, uiguit pastore, potenti
Te Rege euasit Satanæ defensa furores.
Consortem ne tui thalami, sponsam ne relinques
Amplexu alterius miserè ah foedarier unquam?

V I C T O R I A E

Tu caput es, sponsusq; tuæ tua sola columbæ
Es requies, & honos & amor: sed & illa pudicos
In nullum præter quàm te contorsit ocellos.
Nunquam animi deprensa leuis: nec secula tantos
Vlla suos unquam passa est infringere amores.
Scitonias imitata niues, & pectore cygnos,
Plus quàm Penelope, plus quàm Lucretia casto
Mentem accensa igni, casto deflagrat amore.

Vnius huic uox est Christi dulcissima sponsi:
Huic super ætherei residenti culmina cœli
Solum innixa fide est, quoniam solum ille tremendos
Ante thronos Patris hanc effuso sanguine mundat:
Instillatq; suam per singula membra quietem
Flamine perfundens sancto, & scaturigine uitæ
Cœlesti, solo quæ profluit unica Christo.

Sole quidem faciem flagrante perusta decoram,
Gentibus opprobrium & pereuntis fabula Mundi est:
Attamen ante Deum Phœbeo clarior exit
Lumine, & Auroræ rutilantior emicat igni:
Vno etenim merito Christi suffulta, cruore
Vnius expurgata suis pulcherrima næuis,
Cœlesti Regina auro redimita corona
Tempora siderea, æterno fulgebit honore.

Hæc est illa Dei soboles sata Patre Deorum,
Quæ Mundi est exorsa suos sanctissima cursus
Principio, quæ pone sequens uestigia Christi,
Vltima iam primo decurret tramite secla.

Non

LIBER II.

Non erit huic finis Mundo, dum desuper alto
Astra polo, & Titan rutilos iaculabitur ignes:
His etenim Deus ille Deum sua moenia terris
Dia sui asperget foecundo semine uerbi
Semper, ut in casta Gens Relligione Tonantis
Sancta Dei inuigilet, quæ soli dedita Christo
Numinis immensos Mundo propaget honores,
Et quem confessa est terris hoc regnet Olympo.

Hæc est ô Gentes, fuit hæc Ecclesia, prisco
Post Christi emissos Vates quæ floruit æuo.
Heu pudeat toties tanti insimulasse furoris
Hanc Christi sponsam, ingeniti ceu oblita pudoris
Expetat illicitos iam Christum exosa hymenæos:
Aut alios illam sibi conquisisse Tonantem
Ante Patrem mediatores, intercessores:
Nec sat confisam Christi saluantis amori,
Nec bene contentam meritis, uel morte quietam,
Quæ non sunt statuisse polo uaga numina, Patrem
Queis summum contra summosq; litaret honores,
Ad quæ dirigeret sua uota arcana precesq;.

Ante Patris uultus etenim cum nemo tremendos
Purus criminis, & per se compareat insons:
Cumq; suæ Christus perfecta redemptio turbæ
Unicus, hunc summo Patre sit demissus in orbem,
Solut ut immensum Mundi scelus ipse piaret
Morte sua, pretium æternæ, qui sanguine, uitæ
Omnia nostra ferens magno peccata redemit,

Nōnne

VICTORIAE

Nonne alijs extra Christum confidere, nonne
Heresis hæc inuicta malo est mala dæmone terris?
Hic ne leuis furor est? leuis hæc uesania? sed nunc
Mille dolos taceo, queis funditus eruta uita
Est uia, queis euersa sacri mysteria uerbi.

Non ulli quiuere suis coelestia sancti
Limina adire operum meritis: an' non sua soli
Aeterna in patria iam debent munera Christo?
Extra quem non ulla salus nec portio uitæ est,
In cuius solium merito spes nostra reposita est.

Quam fuit hoc uno felix Ecclesia, prisco
Tempore, quam fuit hoc felix doctore, uigeret
Simplicitate sua gaudens cum totius almæ
Religionis opus! Nondum purgante trementes
Exstructi igne foci: nondum feruente sub orco
Saluandas coxere animas immaniter undæ.
Infernus tantum unus erat, sic regia summo
Vna antiqua Polo, sedes spaciota piorum.
Vlla nec infantum Styge contignatio limbi
Interiecta, specus, diuersa lege diremit
Tartareos: Animæ nam Christi sanguine puræ,
Horum qui in Domino sunt mortis lege soluti,
Astra meant trans summa Euri leuis ocyus alis.
Ignis egent minimè, flammæ et purgantis, et atrî
Quo demum assentur post fata uoraginis Orci.
Non illas hominum tangunt, terrestria, curæ
Pondera: nec cælo delapsæ nostra reuisunt

Climata:

LIBER II.

Climata: terrificos nec enim referentia uultus
Ludificant hominum, ceu spectra euanida, mentes.
Corpus humo tegitur, super ardua Spiritus astra
Aut abit, aut Stygijs subito demergitur umbris.
Scitum est aethereos animam petiisse penates
Pauperis, aeterno aet submersam Diuitis orco.
Nec precibus iuuat hic animas onerare beatas,
Nec reprobas reuocare licet de nocte silenti:
Nam quo quisq; modo uita fugiente repertus,
Iudicis ante sui faciem statuetur eodem.

Quos tulit alma uiros? quos prima Ecclesia fratres?
Deuotas prisca uel quas aetate sorores?
Quosue Dei magni seruos? Non ulla tiara
Frons rubea, ornate ramos praecineta capillos,
Purpureo tumuit nec obesum corpus amictu.
Nec uisum est apices circum radiasse micantes
Tempora, permira priscos imitata Diales
Maestate, Deum. Latas non, pinguia terras
Obsedisse suo, compertum est, pondera fastu:
Praesedisse lupos, teneris aut tigrides agnis,
Vel timidis aquilas rostro insidiantes columbis,
Nec gregibus Christi tot monstra rapacia sanctis,
Quae multum titulis, et manibus ardua pompis,
Re nihil, et sancto praestarent consona uerbo.
Quis teneros laniasse greges, rapuisseq; tantum
Iniustas iocus esset opes: quis triste patrare
Immani feritate nefas quodcumq; liceret.

Et tan-

VICTORIAE

Et tanto quemquam dominandi arsisse furore
 Auditum est, qui vi populos & cogeret armis,
 Funderet audaci roseos qui Marte cruores?

Non furor incessit, non hæc uesania quenquam,
 Ut dignè seruire Deo, parereq; Mundo
 Vna opera uellet, pius & iuxta impius esse:
 Et sacer antistes templis arisq; Deorum,
 Scortorum intentus simul insudare Cynædis.
 Talis & antiquo non uisus Episcopus æuo,
 Qui Satana abreptus, Mundi & pereuntis amore
 Obrueret totam flagrante libidine uitam;
 Crapula & indomita uentrem, non mente Tonantē &
 Religionē piā coleret, solumq; uacaret
 Delicijs; & opes miserorum sanguine partas
 Stringeret ingluuie foeda: qui penè stupendis
 Parceret impensis nullis, magno agmine lenis,
 Et scortis, & equis, ingentiq; ære molossis
 Pascendis, dum pauperibus miseranda tenellas
 Sæpe fames medio depasceret osse medullas.

Nullus adhuc ullis generalis Episcopus oris,
 Qui reliquis toto cuperet dominarier orbe.
 Quisq; suas pascebat oues, & quisq; ministris
 Qui Christi debetur, erat contentus honore.
 Nec tunc irrepsit rapiendi foeda libido,
 Et crocei cumulandi ingentes æris aceruos.
 Non huc impulsus quisquam, qui munera, qui tot
 Præbendas, totas & deglutiret. hiantē

Ore do-

LIBER II.

Ore domos, cupidaq; urbes immergeret aluo.
 An' ne quis hunc ouium certam quaesisse salutem
 Crederet, aut unquam Christi saluantis honorem?
 Qui tantas ideo tantum molitur habenas,
 Mollius ut stertat, uel quo securius inter
 Pocula & Idalios crebro uersetur amores,
 Quo melius deglubat oues, incommodo & almi
 Tanta, gregis tanto, solum sua commoda quærat.

Nec uidit diras Ecclesia prisca uolucres
 Harpyas, immane genus, totius Erynnym,
 Et pestem, & magnæ uilissima pondera terræ,
 Ventre sues, cerebroq; asinos, & monstra cuculla,
 Terribiles uultu monachos: fœdissima nigri
 Qui quasi fax Erebi, Stygiaeq; paludis alumni,
 Ingenti æthereas hebetarent agmine flammæ,
 Obtegerentq; sua fœcunda compita mole
 Omnia: qui mira simulantes arte profundos
 Excessus, sanctos in Relligione furores,
 Corde imo obtegerent magnam impietatis abyssum,
 Quis pretio fas atq; nefas omne esset eodem.

Quin horum caruere dolis, caruereq; prisci
 Errorum pelago, & miseranda labe fideles.
 Non his infestata lupis Ecclesia, primo
 Non horum faciem uidit non audiit æuo
 Nomen. Et his equidem quos mox peiora tulere
 Secla, laboriferi sub anhelu puluere soles
 Transacti: steriles scindebant uomere glebas,

Contenti

VICTORIAE

Contenti deserta casis per compita paruis.
 Nullæ his deliciae, nec opes, nec claustra fuere
 Splendida, regales fastu exuperantia sedes.
 Se nulli exhibuere graues. Spelea ferarum,
 Siue metu mortis, seu Mundi, odioq; furoris
 Gentium, in obscuris habitabant abdita syluis,
 Paupere sub tigno, sub fronde & cespite terræ.
 Nec cuiquam Diuum dederant sua nomina, nec quem
 Pro Christi colerent uenerando nomine, norant,
 Norant non alios, non agnouere patronos:
 Donec demonica, terris inuecta cuculla
 Fraude, malos secum miserando errore furores
 Traxit, & ingentem penitus peruasit in orbem.

Vestales nouit nec prima Ecclesia Nymphas,
 Quarum oculis, roseo Veneres & in ore salaces,
 Et tot flagranti sub corde Cupidinis arcus,
 Quarum intra indomitæ residerent pectora flammæ,
 Connubio potius quàm claustri carcere dignas.
 Quæis potius sobolis generandæ prompta uoluntas,
 Mente propagandi quàm sit solertia cultus
 Diuini, nugis quæis utpute diffluat omnis
 Aetas: quæ stolido iuga ferre errore coactæ
 Pessima, sidereas nil quod trans lucida sedes
 Culmina, nil præstent quod ad astra micantia mentes
 Euehat, aut animas claro submittat olympo.

Cur miseræ Mundi uos deposuisse furores
 Creditis, aut teneram satis arctæ compede carnem

Perdo-

LIBER II.

Perdomuisse, quibus feruenti in pectore Mundus
Omnibus illecebris errorum totus inhæret?
Queis sani nihil est in Relligione relictum:
Prisca fides magna quibus est collapsa ruina,
Vos' ne Deo gratum sancto præstare putatis
Officium? Fidei expertes tot secula ueræ
Quando pudet tandem Patrem irritasse Tonantem, &
Errori toties piget indulgisse nefando?

Has aluit minimè sanctorum Ecclesia pestes:
Ordo illi solùm unus erat, qui regula Christi est
Vnica, Christiadum solùm seruata cohorte
Regula, quæ fundata Dei est purissima uerbo,
Et uita stabilita boni pastoris Iesu:
Qui uia, qui nostræ est certissima semita uitæ:
Quam sanctè Mundo hoc si quis seruauerit unam,
Ibit is ad superas Christi luce inclytus ædes.
Turpiter hanc si quis Mundo hoc uiolauerit unam,
Ad Stygiam is tenebris Satana rapietur abyssum.

Nulla superstitione Christi uexilla secutis:
Hoc uno quæsisse Patrem sapientia uera est:
Hunc uera seruasse fide certissima solùm
Spes uitæ, & requies erit hæc æterna salutis.
Et ueluti ponto timidis pulcherrima nautis
Est index Cynosura uia, qua, tramite recto
Ceu duce, per tumidos, sulcant maria ardua, fluctus:
Christocolæ sic una micat clarissima puppi
Mūdi huius Cynosura freto, LUX CHRISTVS, aperto

D Qua

VICTORIAE

Qua Satanae penetrant immissas, calle, procellas
Contenti hoc uno prisca ductore fideles.

Nec proprijs meritis unquam confidere sueti
In sua non alios, nec plures uota uocabant.
Nec fusca facie, ieiuno aut uentre, cucullae
Obscura, prece uel ficta, resonoq; boatu,
Nec missa, prisca quae nondum adoluerat aeuo,
Non oleo, aut sputo, non cera, non salis unda,
Non meritis, non reliquijs hoc orbe relictis
Sanctorum, aut pompis, uarijque coloris amictu,
Denique facundo minimè quae Tullius ore
Sic facile enumeret, non plaustris mille furorum,
Vnius at merito Christi soloque recepto
Viuisicante fide, qua lucida regia coelos
Extra immensa patet, Diuis habitata petebant
Atria: quippe fide capiti sua membra coherent.
Hinc fidei aethereos penna penetrare recessus
Praepete, et in Domini concedere gaudia Christi.
Insiti in hunc etenim ceu palmes amoenus in alma
Vite manet, uiret et grato succu intus et extra:
Diuite sic placidos, in Christo, scenore fructus
Vite sua solum iam prima etate ferebant.

Hi sua consueti duo Sacramenta tenore
Perpetuo, ueluti seruare sigilla perennis
Foederis, effuso sanciti sanguine Christi,
Inter nos mortale genus, patremque Deorum.
Vnum, quo Christi quamprimum ascribimur aule,
Abluimurque

LIBER II.

Abluimurq; sacra consuetis ritibus unda.
Sanguinis hoc primum Christi uis alma notatur,
Quo nos à diro saluatos crimine mundat:
Hinc nostræ Mundo morientis carnis imago,
Et recidua nouæ sanctissima gloria uitæ,
Flamine pectoribus succensa operataq; sancto.
Alterum erat cœnæ communio mystica sanctæ,
Qua Christi memores celebramus mortis honores,
Testamurq; fide uera nos sanguinis huius
Participes, meritiq; sui uirtute redemptos,
Aeternum ante Patris sanctos consistere uultus.
Hic cibus aeternum manet, haud corrumpitur, hæc sunt
Cœlestes, quæ secla, dapes, in nulla putrescunt.
Sic Christo unimur, minimè sic uentre, sed eius
Carne anima saluante fide iam uescimur, & iam
Sanguine cœlestem ad uitam sine fine rigamur.
Spiritus in sanctis solum hinc operatur, & intus
Hic illis Christum totum ac alimenta ministrat
Cœlica sumpta fide, nil confert corporis & nil
Præsentis carnis. sunt spiritus omnia Christi &
Verba animæ, res sunt animæ: nisi spiritus hinc sit
Perq; fidem ni sanctus agat, nihil intus agetur.
Hinc non in reprobos descendit Christus, ut hinc sit
Hic reprobis mors ipsa cibus: quare impia Christo
Vescitur haudquaquam & fidei expers turba beatæ.
Hic cibus est animæ, fidei cibus, & sua Christus
Vita suis solum, æternæ est spes summa salutis.

D 2

Hec

V I C T O R I Æ

Hæc antiqua fides, hæc una & uera, beatissimis
Discipulis seruata fides hæc unica Christi.
Namque suo satis instructi doctore sciebant,
Huius in æternas abijisse extra ultima sedes
Sidera, & ad patrios sublatum corpus honores:
(Cuius nunc una est habitatio regia cœli)
Esse nec hoc instar corpus Deitatis Vbiq;
Non Styga, non impleisse polos, terramq; fretumq;
Hoc minimè uolitare per omnia semina rerum.
Hinc non in Stygias Pauli doctrina paludes,
Sed iubet ad summos pia nos præcordia cœlos
Flectere, quòd superas Christus delatus ad oras
Corpore, supremum caput est in secula sancti
Cuncta gregis, quem sancta fide sua membra sequuntur.
Naturæ sua proprietates seruanda cuiq;
Humanæ, quæ iam cœlesti in sede locata
Humani secum uerè quoq; corporis artus
Hæc ferat, atq; loco sit circumscripta decenti,
Et quæ iam uitæ summos quoq; captet honores:
Diuinæ, sola qua compleat atria Diuini
Lucida, terrarumq; omnes pontiq; recessus,
Cuncta creaturarum quæ sunt & semina rerum.
Nec sunt confusæ diuina, humana, nec abs se
Naturæ auulsæ, sed iunctæ lege perenni:
Sic, una ut Christi persona, quæq; reseruet,
Quæq; suas Natura habeat quoq; proprietates.
Sic etenim haud opus est, diuina essentia sese

Quis

LIBER II.

Qua uirtute sua toto exerit undiq; Mundo,
 Mundo sit præsens simul amplo corpus **VBIQVE**,
 Cum nihilominus huic diuina essentia præsens
 Sit patria æterna: nec enim Deitate relictum est
 Hoc unquam. Veluti spargit sua lumina Phœbus,
 Latè se Oceanus, quàm se erigit ambitus orbis,
 Corpore sed tamen ipse suo sedet altus Olympo,
 Luce sua feriens populos, terrasq; iacentes.
 Et ueluti nostræ latè diffusa momento
 Vis animæ ad superas ceu spiritus euolat arces,
 Aut quascunq; plagas Euri secat ocyor alis,
 Corporis interea membris hoc orbe relictis,
 Et circumscriptis certa statione locoue:
 Corpore sic arces Christus uero incolit altas,
 (Si nobis modò magna licet componere paruis)
 Et loca certa polo, cum se diuina per amplum
 Exhibeat Mundum, præsentem rebus, & omnem
 Rerum agitet Natura immenso Numine molem.

Quare hæc haudquaquam priscos malesana fideles
 Mens habuit, non hos unquam malus abstulit error,
 Vt terra Christi corpus, cœloq; putarent,
 Diffusumq; freto, misceri rebus **VBIQVE**
 Omnibus: inq; Deum subito conuertier alma
 In cœna panem, uel transmutarier inde
 In uerum Christi post paucula nomina corpus.
 Nec fœdo aspersere sacrum Baptisma furore.
 Nec mutilam effecere sacram, sacra pocula, cœnam,

LIBER II.

Vt misero Laicis & fædo errore negarent.
Non tales Christi tulit alma Ecclesia seruos
Prisca: sed afflati diuino flamine, & uni
Intenti uerbo Domini, soloq; quieti
In Christo, & sancto sibi iuncti in amore fideles,
Relligione pia, ceu uerno palmite frondes,
Candida ad undantes & sicut lilia ripas,
Flore refulgebant fidei, suaq; ubere terris
Fœnore spargebant per cunctas semina Gentes.

FINIS LIBRI SECUNDI
VICTORIAL.

VICTO

VICTORIAE LIBER

Tertius.

ARGUMENTVM.

Dolent Dæmones inuictam manere, & quidem suo sanguine florecentem semper emergere Ecclesiam. Hinc illam alio astu inuadere constituunt, prole scilicet noua, quæ in terras è Stygio lacu emissa, contraria Christo, Christo summo astu Gentes auertat: hæc inde Antichristus uocatur, quòd se in templum Dei insinuans, & pro Christo se gerens, infinitos errores, contra Christi Euangelium inuentos, Mundo inuexit. Nascitur infans patre quidem Lucifero, matre verò tenebrarum potestate magna. Egreditur Stygio lacu suo solito & miro comitatu, Italiamq; subito petit: Romam, cuius authoritas & potentia fermè conciderat, denuò animat: hinc mira & multa molitus, sibi omnia regna, sacra, cœlum, salutem, &c. subijcit. Papatus hinc describitur: & Antichristi virtutes pulchrè, sed paucis, notantur.



V M mala corripuit furibundos dæmones ira,

*I*ra intus, magno et succensi mēte furore,
Tēpla relinquebāt falsorū arasq; Deorū,

Templa suis uacua idolis: sibi tanta laborum
Consilia, & fraudum innumeris tentata procellis,
Disperijsse dolent. Sedenim subit ira cadentis
Imperij ulcisci tristem quacunq; ruinam.

D 4

Cura

V I C T O R I A E

Cura ingens miseros mordet: tandem incidit astu
 Mirando uia, qua facinus proh triste, nefandum,
 Horrendum, toto exitiosum Gentibus orbe
 Iam sparsos Christi contra aggredierentur honores.
 Progeniem affectant miram, patre principe magno
 Lucifero, sed matre satam, quæ robore cunctis,
 Et forma, atq; astu toto præstaret Auerno:
 Quæ soboles summi contra coelestia Christi
 Moenia, apud superos crudelia bella cieret:
 Lucida quæ cunctas fidei inter lumina Gentes,
 Quæq; Dei cultum Stygijs inuolucreret umbris.

Hinc subito umbriferam loca nocte silentia uallem,
 Elysiosq; petunt, ubi principis atria, campos,
 Luciferi immensas lata in regione paludes
 Ostentant, ualido huc cursu & penetrante feruntur.
 Hinc mœstas promunt languenti è corde querelas:
 O' pater, ô princeps, ô dux, quo primitus alto
 Deiecti cœlo Stygios accessimus ignes,
 Nos tua, ceu par est, quamprimùm iussa secuti,
 Tempa per innumeras obsedimus inclyta Gentes,
 Tempa Deùm, quorum sub nomine prisca colebat
 Nos quoq; religio. Quondam tibi caesa calentes
 Victima proh cecidit quàm multa quotannis ad aras
 Nunc nulli sumus, heu nostrum decus omne ruina
 Corruit æterna. Quid nunc? operamq; oleumq;
 Perdidimus: patuère doli, fraus clarior, alto
 Nostra exit, cœlo rutilo quàm lumine Phœbus.

A' nobis

LIBER III.

A' nobis auersi animi, nos nostraq; cuncti
 Numina ceu pestem exhorrent fugiuntq; nefandam.
 Tanta est illa mali labes, hæc omnia Christo
 Hosti Orci Erebiq; accepta ferenda putamus
 Fata, quibus miseros super auctior ira Deorum
 Increuit, quibus imperij clarissima nostri
 Gloria, & immenso occubuit uis nostra dolore.
 Et sanè ô princeps, quæ magnificentia sceptri
 Te penes ante fuit, tota hæc iam pallida marcet,
 Marcet honore suo, miserè & spoliata decore.

Et ueluti iniunxisti nobis, per climata Gentes
 Omnia nos adiisse scias, mouisseq; bellum
 Horrendum contra Gentem sobolemq; Deorum.
 Christiadam aduersus turbam pœnæ infinitæ
 Nostro astu inuentæ magna extorsere cruoris
 Flumina: crudeli ceciderunt plurima dextra
 Millia: olentes & per mœnia carnificinæ
 Instructæ. Multorum animas è pectore ferrum
 Hausit, adhuc renitent multa pinguedine postes,
 Et fera sanguineos desudant limina rores,
 Viscera parietibus pendereq; cruda uideres.
 Sed labor incassum effluxit, periereq; fraudes.
 Quàm malè res cecidit! nihil hæc uis nostra, nec ira
 Hic aliquid profecit, acerbo hinc pallida luctu hæc
 Ipse dolor petere infecta re compita suasit.
 O' utinam ex quoquam non gutta effusa cruoris
 Vnquam manasset: manet irrecuocabilis error.



VICTORIAE

O utinam possent redimi tot funera, & omnes
 Aere aliquo cades. Etenim gaudemus ouantes,
 Cum magno pereunt Christi pia membra dolore:
 Sed quò cede fluunt maiores sanguinis undae,
 Hoc magis emergit rutilanti splendida flore
 Illa Dei soboles, Ecclesia dia Tonantis.

Verum tu facili, princeps ô maxime, nostras
 Exaudi aure preces, animoq; hæc dicta recondes:
 Res alia tentanda uia est: tibi fraudis & astus
 Restat adhuc ingens pelagus: tibi maior origo
 Surgit, & hoc bellum mirabilis ansa nouandi.
 Prole opus est nobis, & te patre principe, prole,
 Prole opus est, quæ te referat uersuta parentem:
 Quæ uersare dolos, tectoq; inuertere bello
 Ausa fidem Christi terris, tibi regna, tibi orbem,
 Amissasq; tuo Gentes, & mœnia, sceptro
 Restituat: partim quæ fraude dolisq;, furenti
 Vi partim, & bellis, uel fune, uel ense, uel igni
 Cœlestem subigat Gentem, uel protinus uno
 Turbine ceu stipulas toto profliget in orbe.

Hæc super eructans imo de pectore princeps
 Et gemitus fremitusq; truces: Pareve necessum est,
 Querite, ait, sponsam nobis. Dicto ocyus illi
 Atria per media elapsi, perquirere campos
 Certant Elysios: uix dignam principe tanto
 Inueniunt. Sedenim tenebrarum immensa potestas,
 Fœmina fusca genas, oculosq; simillima flammæ

Ardenti

LIBER III.

Ardenti, malè Gorgoneos & pexa capillos,
Sese offert tandem, tenerum lasciuaq; amorem
Imbibit, & medio tēdas alit osse iugales.
Ille moræ impatiens, uenturæ & prolis amore
Aestuat incensus: sponsæ sed & astat ouantes
Ante oculos semper redamantis imago mariti.
Hinc ambo coeunt in mutua fœdera blandi
Coniugij: iungunt dextras sociantq; petitos
Vna lege thoros, & uerbis oscula miscent
Crebra: nouis geminant itidem noua gaudia flammis.
Nec Venus infœcunda fuit, non irritus horum
Aut amor, aut inter cita tela Cupidinis, almi
Amplexus, non ore sonantia basia molli.

Iamq; suo Phaëthon duo longa exegerat igni
Secla, Stygis tēdas, post Elysios hymenæos:
Ecce nouæ prolis (proh gaudia quanta) tumentes
Iam mammae, atq; uteri proportio turgida, certis
Obiectant sua signa notis: & Lucifer amplas
In spes erigitur: quin iam sibi cornua sumunt
Dæmones, & piceis fama hæc incurstat umbris,
Semine Luciferi nuptam intumuisse secundo.
Sed quoniam deêrant ad iustum plurima foetum:
Et quibus esset opus, queis gloria magna, uel usus
Gentileis fallendi oculos, ualideq; tenellos
Obsuscandi animos, ideo sex secula partu
Formando, expoliendo, comando, ornando abiêre.

Errorum sentina ingens, malè iuncta q; Missæ

Ter de

VICTORIAE

Ter decompositae structura, atq; aggere magno
 Multa superstitio prius euellenda tenebris
 Tartareis. Et cum ueterum simulachra Deorum
 In cineres issent, & iam quoq; Numina Diuum
 Ficta colenda essent contra quamplurima Christum,
 Ceu fore uersuta perspexerat antea mente
 Lucifer, ingenio praestans, praestantior arte,
 His curat mira fabricari idola decore,
 Valde uerenda auro, uultu & spirantia sanè
 Nescio diuinos quos maiestatis honores
 Coelestis. Sedenim discreto haec omnia sexu
 Effingunt sudore fabri, multoq; labore.

Imprimis tamen huc, huc uis intenditur artis,
 Blandè ut foemineos simul & regaliter artus,
 Et ritu Paphio, uelut inter lilia uernae
 Saepe rubent iucunda rose, nitidissima lacte
 Vbera ut obiectent oculis: quo Gentibus alma
 Flora, Venus, materq; Deum, Reginaq; Iuno,
 Aut Hecate pharetra, uel dura Gorgone Pallas
 In mentem reuocetur: & hoc sub tegmine quod sint
 Sanctorum simulachra hominum, occultetur inultum
 Heu scelus infandum, Gentes quod primitus omnes
 Aduersus coluere Dei mandata supremi.

Elysij haec dum studiosè agitantur in umbris,
 Tempus adest tandem generosi optabile partus:
 Parturit, & tremebunda gemente puerpera nixu
 Intendit ualidos curuato poplite neruos.

Sed

LIBER III.

Sed labor hic tanto penè impar ponderi, acerba
 Anxia spe multum commouit pectora patris.
 Sæpe suo uisa est misera hæc molimine rumpi
 Velle. Erebi specubus pallentes undiq; curæ
 Fama auctæ haud dubia, fusco multa ora colore
 Inficiunt. Sed te fato sanctissime Phoca,
 Et nomen uituli remq; ô sortite marini,
 Quàm bona sors aptè te in tanta pericula uexit!
 O' quàm commodè ades, tua quàm presentia Auerni
 Profuit imperio! quàm uirtus utilis, & quàm
 Post matris trepidos tua grata potentia nixus!
 Te duce, te uictore, & te obstetrice potenter
 Editus in Stygias puer est mirabilis umbras,
 Trux animi iam tum, & cælo, terræq;, Ereboq;
 Mente inhians, armis, astuq; in utrosq; paratus,
 Seu tentare Deum, cæliq; infringere postes,
 Seu rapida cunctos ira absorbere fideles,
 Christi adumq; greges crudeli inuoluere letho.
 Sic fuit affectus materna ut prodijt aluo.

Antè tamen superum quàm sit deductus in orbem
 Hic puer, egregio stratagemata Lucifer astu
 Molitur: sed enim post Christi tempora nostri,
 Post & Apostolicos sanctissima lumina uultus,
 Iam tum multa sui Mundo mysteria Gnati
 Pandit, ut huic primùm data forma est matris in aluo:
 Et tacitè hoc fecit, multoq; lepore, fauore,
 Et zelo ingentis fidei, splendoreq; sancto:

Sic tæ-

VICTORIAE

Sic tacitè, ut minimè fuerit deprensa nefandæ
Fraus pestis sensim Christi inficientis ouile.

Vos quoq; Lucifero, crudelia monstra per orbem
Heretici emissi, qui falsificante Tonantis
Heu miserè obruerent sanctum caligine Verbum:
Per quos ui ualida Gnato explanata pateret
Semita, in æterni Patris inuiolabile templum.

Indomito ast reliquis hi præfulsere furore:
Inprimis Simon ille magus, cui gratia sancti
Vendibilis uisa est heu turpi, flaminis, ære.
Et Mahomet uesanus Arabs Christi improbus hostis:
Marcion, atq; Ebion, Manes, Eutychesq; Cherintusq;
Et malus infauisto nimum satus Arrius astro.
Hinc sua defendens Montanus dogmata uanus
Impia, & ipse Valens, & lecti dia iugalis
Iura negans Tatianus. At hinc tibi magna Pelagi
Pessime Luciferi à debetur gratia Gnato,
Cui nil uisa Dei est seruans nos gratia summi.
Tu quoq; Nestor ades, tuq; ô quem fœda Nouate
Vertigo exegit, miseris ut tristia lapsis
Iura dares, spem præriperes & gaudia uitæ.

Hoc chaos errorum, tristi hæc fera fulmina fato,
Hos præcursores mediæ è fornacis abyssso
Tartaræ emissos, puero sator ille recenti
Lucifer instituit, tales namq; esse decebat.
Nunquid enim tanti dominatus, & ampla gigantis
Est uirtus aliud, terrisq; effusa potestas,

Quam

LIBER III.

Quam cunctarum ingens & gurges, & una lacuna
 Heresium, immensum pelagus, Camarinaq; nullo
 Aut satianda errore, uel euacuanda furore?
 Ex hac tempestas, tenebraeq; & fulgura, & inter
 Impetuosam atris heu mista tonitrua nimbis,
 Maturam in segetem, & letissima pascua Christi,
 Inq; suam incumbunt reboanti turbine puppim.
 Ex qua tot, caelo quot fulgent sidera, pestes,
 Et tot, aues liquidum quot sulcant aëra, mortes,
 Totq; quot in uastum recidunt mare flumina, **Erinnes**
 Aeternæ inuadunt animas, atq; igne baratri
 Sulphureo saturant ira in candente Tonantis.

Inde pater, quæ Bosphorus inclyta Constantini
 Mœnia, & indomitos alto ambit littore Thraces,
 Huc Orci insignes, nigrorum, ex arce phalanges
 Demonum, & emeritos proceres, Satrapasq; **potentes**
 Emittit, tacita qui mollia pectora uoce,
 Cesareiq; aures animi sermone latentis
 Efficiant Gnato faciles: quò sceptrum, fauore
 Tutus, & ære potens sibi tuta capeffat in orbe:
 Nèue alibi cathedram Petri soliumq; beati
 Arripiant quacunq; uiri: quid deniq; magna
 Nèue suo Babylon sic defraudetur honore.

Hinc magnæ exortæ lites: sed iudice tandem
 Regali uitulo Phoca, quin postea quarto
 Constantino, ingens Cocyti erupit Erinnyis:
 Obtinuitq; thronos, & sceptrum micantia Gnato

Lucifer

VICTORIAE

Lucifer, & firmis res est transacta sigillis.

Imbuit ut sancto genitor sat chrismate Gnatum,
 Atq; intertextis, fulgente micantibus auro
 Gemmis, & sancto simul hunc instruxit amictu:
 Mox comitatu amplo procerum, quibus alta galeris
 Tempora sub rubeis lepidè exornata micabant,
 Quin equitum ualida peditumq; cohorte, profundo
 Munitum, & uotis cumulatam emittit Auerno.
 Quæ series miranda uirum, heu quæ gloria, & heu quæ
 Maiestas! longo conchæ undiq; , & undiq; conchæ
 Syrmate Getulæ renitent: nec lucida tales
 Crediderim duxisse choros unquam agmina cælo.

Hinc regni proceres, illinc nitido ære uideres
 Hastatas acies latera undiq; claudere tanti
 Principis, & studijs omnes contendere promptis.

Lurida pars tetro gestare caputia uultu,
 Pars geminos apices, frontem pars rasa tiaras
 Quadratas: sua nec cuiquam miracula deêrant.
 Tantus amor uariæ uestis, uarij; coloris.
 Perbellè cute curati, facieq; rotundi
 Impulsu tremulo currunt, & faucibus efflant
 Ah fessi trepidante petitos pectore flatus.
 Dixisses pecora esse Stygis, bene pasta per hortos
 Elysios, Lethææ undæ temulenta liquore.
 Has sub pectore alunt curas, hac mente feruntur
 Hi solùm, ut uasto demergant gutture, & amplo
 Inguine ut absument uiduatas patribus ædes.

Multa,

LIBER III.

Multa, sacras uestes secum, pileosq; Diales,
Pars, lustralis aquæ & plenissima dolia carris
Imposita, atq; cadis fructus præpinguis oliuæ,
Quin multa sacrum quoq; pyxide chrisma uehebant.

Plurima pars crocea gestabant lumina cera,
Pars uexilla suo rectè distincta colore,
Multi campanas tremulo æra sonantia cantu,
Ast alij innumeras, quibus ossa recondita, cistas,
Nescio quæ uel fortè canum, aut fortassis equorum.

Præsidet idolis mater Regina uerendis
IRENE, pueri sæpe exoptata parente,
Trux animi, & uani semper cupidissima cultus.

Hos inter Rex fulgenti diademate Regum
Sublimi innixus solio supereminet, altis
Gestatusq; humeris tanto sibi gaudet honore.
Cuncta gemunt strepitu reboante palatia Ditis.
It pariter clamorq; uirum, clangorq; tubarum
Extra ædes Stygias: super Echo littus Auerni
Musica dulcisona reddit modulamina lingua.
Hinc ubi flammiferas Acherontis contigit undas
Mole sua infinita phalanx, stupefactus inhaeret
Impiger ille nouo Charon hospite nauita: sed mox
Cuncta caua secum transuexit corpora pinu.

O' Italium fato Gens heu seruata maligno,
O' quæ terrarum cunctos Regina premebas
Roma tuo populos sceptro, clarissima tandem
Desinet esse sui tua gloria iuris. Olympo

E

Que

V I C T O R I A E

Quæ caput, atq; inter posuisti nubila sedem,
 En tibi quo depressa ruas, atq; impia morte,
 Morte tyrannus adest cum quo moriare perennis

Luciferi soboles rectâ petit ardua Romæ
 Mœnia, quæ uiridi Tyberis prætermeat unda:
 Felices quondam excelso qua Marte Quirites
 Arma exercebant, animosq; in prælia, & ira
 Audaci in tristes acuebant pectora pugnas.
 Ast his uirtutis uis prima refrixerat: & iam
 Diuerso egressæ crudeles climate Gentes,
 Cunctarum ulturæ terrarum fata, Quiritum
 Fata gregi, laribusq; accepta ferenda Latinis,
 Inquam, iam uires Romanas attenuarant.

Bestia lesa caput, cerebro malè saucia Roma
 Vix grauiusq; animo uulnus lethale ferebat,
 Aegrè animam ducens, & acerbo lumine uitam,
 Cæsareo auxilio & miserè hæc spoliata dolebat.

Hæc inter Stygias soboles emensa paludes
 Luciferi, Italiam subito Lauinaq; uenit
 Littora, restituitq; suæ sua lumina Romæ,
 Inflauitq; animam, & uires superaddidit agræ.
 Miro astu, occidui spoliato Cæsare sceptro
 Imperij, Eoas Asiæ dominante per oras
 Cæsare, ad externam regni traduxit habenas
 Gentem: quò firmata alieno robore Roma
 Promptius aduersus cœli sua spicula prolem
 Vibraret, contraq; Dei sua dogmata Verbum

Euomeret,

LIBER III.

Euomeret, meliusq; suos stabiliret honores,
Et regnum Stygio infelix sata semine proles.

Ast ô Gens Christi, tuq; ô ueneranda Deorum
Progenies attende Dei, teq; erige tantis
Et certis cœlo fatis quæ desuper alto
Demissa incumbunt pereunti tristia Romæ.
Hæc animata iterum, subeat quo tristius ira
Exitium flagrante Dei, sed & impia lapsu est
Instaurata suo, ruat ut uehementius, & sic
Seruiat immani miserè suppressa tyranno.

Hic iam firmatus solio, & subnixus opum uir
Haud tenui, splendore potens pietatis, & almo
Ingentis fidei zelo sanctissimus orbe
Toto habitus, qui ius uitæ, qui mortis haberet,
Quiq; Dei posset reserare palatia, quiq;
Quos uellet uita exutos demitteret Orco,
Hic inquam tanto sublimis & auctus honore,
Miro astu, imperio Romanisq; inclyta rebus
Plurima per Latios auertit mœnia campos.
Cuius mirandæ seruit donatio fraudi
Constantini ingens, uanos mentita colores.
Restituit sic ergo suæ sua lumina Romæ,
Ut sibi subijceret, deq; hæc uelut arce furoris
Errores, fraudes, odij & fera spicula, & iras
Ingentes in ouile Dei, inq; emitteret omnes
Sub cœlo populos, perq; omnia climata terræ.
Sic terras quoq; sic opulentaq; regna, Latinos
Defraudans proceres, sua sub iuga misit. At inter

neret,

VICTORIAE

Vna alias urbes mihi sit pulcherrima testis
 Parthenope: mihi sint & littora nota Pachini,
 Et Sicula, & cunctae sint testes ordine Gentes
 Eius auaritiæ, qua uorticis instar opimas
 Immensi hausit opes, Europæq; omnia quæstu
 Regna suo populatus auaro haud postea Crasso,
 Nec Croeso innumeris Pactoli cecidit arenis.
 Auri tantus amor, studiumq; immane rapinæ,
 Ipsius ut saturent rabidam non ulla Charybdim
 Aequora Plutonis croceo ære fluentia. Quanto
 Plus rapuit, creuitq; immensa pecunia, tanto
 Hic semper plus gurges opum sine fine cupiuit.

Quid dico? ô Regum liquidissima pectora, fato
 Seducta aut nimium duro, aut errore stupendo,
 Vos dico obtestor per magni Numen Olympi,
 Dicite cur animas uestras, patriæq; salutem
 Odistis, uestris hostis quò pessimus armis
 Firmior aduersus cœlestia mœnia, & ipsum
 Contra horrenda Deum & ualde impia bella cieret?
 Neq; aduertistis uestris ceruicibus illam
 Increuisse luem, quæ uos, & uestra per amplum
 Regna heu funesto casu pessundaret orbem.
 Nonne huius latas super aucta potentia terras,
 Et magnæ, & sanctæ uirtutis opinio tandem
 Romani imperij uires, nomenq; decusq;
 Prostrauit, mersitq; æterna nocte, profundis
 Quis nunquam emerget tenebris? Cur impius alto

In so-

LIBER III.

In solio infusus, miserando poplite Reges
Curuatos, cur Cæsaream ceruice reflexa,
Adq; pedes frontem abiectam (miserabile dictu)
Despicit, inq; luto scædatam proterit atro?
Et risu, & lachrymis res hæc dignissima: risu,
Sic sibi uelle dolis proceres illudier, ut se
Esse optent potius seruos, & prompta tyranni
Mancipia, & bene clitellis instructa ferendis,
Quàm uerè proceres sua queis sit gloria, & almæ
Vna salus patriæ, uirtus generosaq; cordi.
Ast hoc quis lachrymis satis exprimat? aut quoq; tãtã
Eridanum effundens oculis defleret Erinnyum
Sat dignè? Vos huic hominum summoq; Deorum
Hosti auxisse animos, in sanctam armasseq; Gentem:
Christiadam quò sic alberent osibus, & quò
Plurima in effuso sæpe arua cruore ruberent:
Et quò perpetua uestra hæc sit gloria labe
Omnibus ante Deos hominesq; odiosa diebus.
Mox super æthereas caput exerit impia nubes
Luciferi soboles, Diuumq; affectat honores.
Blasphemo ore Deum petit, & sanctissima Christi
Numina, & hinc in se mysteria splendida transfert:
Se iactans illum quo æternæ Ecclesia uitæ
Pascua, & ad uiuos cœlestia gaudia fontes
Inueniat: cui sit peccati uinclæ potestas
Soluendi, cœloq; animas super astra locandi
Aere dato quouis: sed enim non ære soluto,

VICTORIAE

Heu miserè in Stygios abigendi protinus ignes
Præcipites. Sibi sidereos parere recessus,
Spirituumq; choros, trucis & simul atria Ditis,
Cœlorum cui sint (dictu mirabile) clauēs.
Qui caput, & doctor, qui cor, qui fons gregis almī,
Qui sponsus sponsæ, sanctæ qui nauita puppis
Vnicus & rector, quo à cuncta interprete ueri
Sit uia, & æternæ sit norma petenda salutis.
Qui nihil aut factò, uel dicto errauerit unquam:
Sic licet innumeras animas sanctissimus unà
Ducat in exitium puer hic miserabile secum,
Non tamen hoc meritò à quoquam queat error haberi
Quo sine nil sanctum fiet, & qui sancta per omnem
Cuncta regat Mundum: quod sanctum iudicet, esse
Hoc solum sanctum; secus at quod iudicet, ingens
Esse nefas. Fugienda sequi, fugere atq; sequenda
Præcipiat licet, hæc fieri tamen omnia sancta
Se duce, se solo fieri monitoreq; iusta.
Quod statuat, pro lege Dei, uerboq; Tonantis
Esse acceptandum, & reuerenti corde probandum,
Ipsius ex Christi tanquam fiet ore profectum.
Iura subesse sibi meritò parereq; iura,
Iudice quo toto sit nemo excelsior orbe,
Nemo Deos æquans alius, nec iustior alter:
Solutus & à quoquam qui nullo iure reprimi
Possit, ut hic qui sit sibi lex, lexq; unica cunctis,
Lex toti Mundo: qui lege exceptus ab omni

Diuina

LIBER III.

Diuina, humana, solus plenissimus almæ
Fons sit iustitiæ, fons gratiæ amœnus, asyllum
Ah desperatis certum. quid deniq; Christi
Qui sacer in toto fiet orbe uicarius, & qui
Ceus Deus omne suo sanctum, sacra cunctaq; nutus
Dispenset, qui sit super omnia: se quoq; terræ
Non minus ac cœli, Diuûmq; hominumq; potentem.

Hinc geminos stringens gladios, uirtuteq; clauas
Diuina insignes iactans, ceus Iuppiter olim,
E' resonis ualidos iaculatur nubibus ignes,
Eq; sacra sua tela iacit fera fulmina sede,
Et populos, terretq; furenti turbine Reges.
Gloria tanta uiri, maiestas tantaq; sancti
Numinis, & ueneranda sacro ualde ore uenustas.

Vnde sacra Cæsar tibi sunt redimita corona
Tempora Cæsarea? Cur hæc tanto ære, labore
Ex Italum euellenda fœcis, emendicanda
Aut potius? Solio toties deiectus ab alto
Cur ruis? aut cur iure tuo spoliata scelestas
O' Aquila Harpyas genus exitiale tulisti?
Cur resoluta tuis sacra iuramenta, tumultus
Principibus, tantos, & bella horrenda mouêres?
Scilicet hic Dominus tuus est, qui primitus omne
Imperium tibi iure Petri Pauliq; beati
Contulit, ut cui sit Diuûm miranda potestas
De gente in gentem rapiendi regna. Tonantis
Cur tibi non animo potius solum una uoluntas,

V I C T O R I A E

Consiliumq; sui fati dictat, tibi regno
Non aliunde datum quam coeli ex arce potiri?
 Vnde tot egregijs uerisq; erepta monarchis
Imperia haud raro indomitis cessere tyrannis?
Vnde uel innumeros, plus quam ciuilia, campos
Bella per Europam effuso tinxere cruore?
Vnde tot indigenis uiduatas ciuibus urbeis,
Funeraq; in latis expertia honore sepulchri
Computruisse aruis, Martemq; acuisse tremendum
Vidimus in caedes, in mutua uiscera ferrum?
Quam tanti impulsu Domini, & summi hostis, aperto
Qui quoq; Marte Deum petijt tentare Tonantem
Ausus, & in summos os execrabile coelos
Ponere, blasphemis conspergere sidera sputo?
 Hic quoq; crudeli quamprimùm emissus ab Orco,
 Quò Christum populorum animis euelleret, & quò
 Prisca fides Stygia caligine mersa periret,
 In sua detorsit Verbum periuria Christi
 Infando, enormi, planeq; errore stupendo:
 Huc atq; huc flectens mysteria sancta, profundas
 Diuino miser hic tenebras uelauit amictu.
 Hinc intemperies orta est illa inclyta Missæ,
 Fitq; Deus panis, tenui, post uerba, susurro
 Ore sacerdotis deprompta: includitur alma
 Cistella, gestatur equo, precibusq; uocatur.
 Denuò & altari Christo sua membra litantur,
 Quæis tamen effuso pendens cruce sanguine, Mundi
 Perfekte

L I B E R I I I .

Perfectè semel & satis, inq; perenne piauit
 Aeuum peccati seriem, & mala crimina noxae
 Omnia: ut excelsi credentibus atria coeli,
 Inq; uno pateant coelestia gaudia Christo:
 Qui super astra suo radiantia corpore uectus,
 Hoc absens nobis, praesens coeli arce tenetur,
 Gratia & hic praesensq; suo iam flamine nobis.

Mox, nunquam prima comperta ab origine Mundi,
 Non audita prius, nec priscis cognita sanctis
 Orta superstitio, quam secum nuper ab Orco
 Ille recens genitus clam uexerat: Esse profundis
 In specubus, tormenta animae noua plurima, Ditis:
 Quae animas sit opus primum ex hoc orbe profectas
 Terreri, & scelerum contractam e corpore molent
 Sic ualido exuri, purgariq; igne necessum
 Esse, leues animae rutila nitidaeq; iuuenta
 Quo leuibus super astra uolent Euri ocyus alis.
 Posse tamen prece, ieiuno uel uentre, sed illas
 Imprimis pretio redimi de carcere, si quis
 Aut pro se, positus properantis limine mortis,
 Aut si fortè patrum, matrum, fratrumq; misertus
 Aut cognatorum, magnam profundat opum uim,
 Et sua diripienda Harpyis tecta propinet
 Innumeris, si prata, uel arua, boumq; labores
 Triticeos: si claustra beet uel diuite censu.

Hoc astu tanto periuriq; arte Simonis
 Credita res, Variorum spes mixta timore procillas

VICTORIAE

ingenteis animis glomerat, sed & agra timore
Vincta graues gignit titubanti in corde dolores.
Sic Christi nequit esse memor, totaq; flagrantes
Mente tremens umbras, animam non sanguine Christi,
Sed croceo ereptam Stygia cupit ære palude.
Hoc Satanæ quasiuit, & hac subtilior haud est
Fraus huius, quam quod purgante hoc igne tenellis
Mentibus euulsit penitus merita omnia Christi.
Hinc pecus Arcadicum, monachi, pinguescere cœpit,
Claustraq; per cunctas sunt uisa exurgere Gentes
Splendida, ualde aruis rubeoq; opulenta metallo,
Innumera hinc ortæ pestes, nox atraq; cryptis
In Christi est emissæ fidem, Phlegetontis opacis.
Et Laruæ, & Lemures, imis animæq; sepulchris,
Cocyti è flammis, in corpora prisca reuersæ
Heu gemitus edunt, lachrymabili & undiq; questu
Implorant saluantis opem, cœlestia, Missæ
Munera, rasorumq; preces, pia uotaq; fratrum.
Inde Tonantifces (uelut æquora maxima, rupto
Obijce, mole sua iam mersa per arua feruntur).
Exundant, uariæq; aliæ super omnia Missæ
Compita terrarum, per templa, sacellaq; perq;
Mcenia. Relligio iam Missa effecta, tonabat
Nil nisi Relligio Missas. Hinc passio Christi
Heu nimis insano est agitari cœpta furore.
Hinc albæ uestes, hinc sacris purpura signis,
Expressi fures, expressa flagella. quid ultra?

Et hæc

LIBER III.

Et laquei, & sanctis iniectum tegmen ocellis.

Et Missæ adiunxit sacra lumina, non sine mente,
Nec sine mirando, quo nescio, Numine Diuum:
Fertur enim signare ignes Deitatis amœnos,
Et Satanam, & Satanæ mala spectra fugare timendi,
Aerâq; in ærias posuit resonantia tures,
Quæ quoq; ceu Christi sacro pia membra liquore,
Et soliti iussit mergi baptismatis unda,
(Heu scelus) ille recens piceis puer editus umbris,
Scilicet hæc animas defunctorum alta profundi
Astra per, hæsq; ferunt trans lucida culmina cœlis
Hæc q; sono sedant scissa fera fulmina nube.

Et meritum ut Christi citius iam tolleretur, hoc ut
Obscurum, abiectum tenebrosa in nocte lateret,
Spem uitæ, spem securam immotamq; salutis,
Et fidei super alta uehementis culmina robur,
Atq; refrigerium Stygis igne morantum animarum,
Lustrali ascripsit (proh quanta insania) Lymphæ:
Quæ, placidi è puro ceu cœlitus æthere rores
Delapsi exustos calido sub Apolline flores
Ad dulces animant sæcunda aspergine fructus,
Sic animas recreet bustis aspersa sub igni
Purgante assatas, & pessima tormina passas,
Erigat has in spes, & mox noua gaudia uitæ.
Næue quid in cœpta iam Religionem maneret
Integrum, prisca similisq; nec amplius, almas
Fuco picta genas (nec enim sata patre Deorum

VICTORIAE

Illa fuit, sed notha sui iam filia patris)
 Splendidiore amplum facie corrumperet orbem,
 Intulit huic idola mali mala semina quondam
 Dæmonis in Gentes dispersa effusaq; primas:
 Queis summo fieret iam summa iniuria patri,
 Et Christi eterno sanè saluantis honori.

Sed tamen hæc titulo quo candidiore micantis
 Undiq; prodirent auras in lucis amœnas,
 Atq; suo populis essent accepta colore,
 Esse beatorum qui cœlica regna gubernent
 Effigies dixit uenerandas supplice mente:
 Esse libros uulgi indocti, quod pagina doctis
 Præstet sacra uiris, simulachra hoc diuite cornu
 Porrigere indoctis: nec sic illos uenerari
 Aut lignum, aut aurû, uel amœno in marmore truncum,
 Sed quos designet, cœlestia numina, Diuos.

In statuîs ne Deus, quærendus Christus in illis?
 An ne est designanda Patris Sapiencia ligno
 Christus? & an non hunc Scriptura in imagine uera
 Et uiua, dictante Deo, sine fraude reuelat?
 An Verbi occlusus sonus est? Sapiencia magno
 An non enituit toti Christi undiq; Mundo,
 Lux doctis, atq; indoctis facta omnibus omnis
 Lux, ouium Christi gregis & lux inclyta sancti?
 Dicite adorandi in statuîs sunt dicite Diui?
 Qui Diui? fabricanda his sunt idola? uel illis
 Impendendus honos Christi? precibus ne uocandi

pro

LIBER III.

Pro Christo sancti, quo Salvatore beatas
Solo perpetui delibant nectaris undas?
Nonne suos olim mentis sine lumine Gentes
Sic coluere Deos? Sic mater magna, Deumq;
Sic Iuno Regina, Venus sic mater amorum,
Cultores habuere suos, sic fulmineus Zeus,
Dumq; Deaq; omnes precibus uotisq; petiti.
Nonne illis simili sunt condita templa furore?
Parietibusq; olim suspensa anathemata summis?
Nonne iisdem abrepta tenebris, nugisq; potenter,
Elusæ Gentes, miracula magna abiegnis,
Eq; petra excisis statuis dolabraq; politis
Virtutes soliti miras ascribere truncis?
Vtpote queis cælo Diis immortalibus alto
Dantibus influeret diuina potentia, uisq;
Dispensandi hominum sortes, fata omnia uitæ,
Fata suis bona præstandi cultoribus, aut hæc
Vertendi gemina in mala contemptoribus ira.
Sed tibi quæ tanto quæsita errore uoluptas,
Aut quæ delicia, quæ gloria? Num tibi curæ
Sic fuit aut cultum uel templa decente Tonantis
Ornatu decorare magis? Vehementius aut hoc
Affici honore Deum, citiusq; ad uota moueri
Vestra putas, ô Luciferi uanissima patris
Progenies? Sedenim dicam quod sentio, quid te
Mouerit immortale Dei immensumq; tremendumq;
In lapidem aut ligni truncum couertere, Numen,

Eq;

VICTORIAE

Eque Orco mutos, simulachra tot eruta, Diuos,
 Ante oculos in procinctu posita undique templis
 Commendare ingenti animo, celebrareque scriptis,
 Cogere ut haec flexo seductae poplite Gentes
 Ante ruant, et honore pio reuerenter adorent:
 Causa tui haec inquam facti fuit unica, caelo
 Auulsi ut populi rapido impetu ad ima profundae
 Stagna Stygis uoluantur: ut uno Patre relicto,
 Aeterno ueroque Deo, et quo sidera solum
 Scandimus alta duce, in caelesti culmine, Christo
 Deserto, iubar excuterent, fideique coruscas
 Pectora multa faces, fierentque immanius hosti
 Praeda per aeternos crucianda urendaque soles.

Vnde alias tot ficta forent uaga Numina? et unde
 Tam uaria in Diuos est spesque fidesque repostae?
 Vnde illis impensus honos Deitatis, et una
 Gratia, saluandi Christi que tributa potestas?
 Quam uero ut uita mortalia pectora fonte
 Deficerent, latices scaturigine fastidirent
 E' pura, e' uiua, caelesti ex arce fluentes?

Sic male prisca fides, sic Religio incluta Christi
 Interijt, uix huic ima radice relicta
 Ingratis euulsa animis. Pro Numine summo,
 Proque Deo aeterno, Mundi qui solus et unus
 Conditor immensa fulcit, regit omnia mente:
 Pro Christo expressa est qui Patris imago, salutis
 Pro fonte, aeterno pro saluatore, sui que

Pro

LIBER III.

Pro capite, & rectore gregis, tot Numina cœlo
Cœpta coli, quæ non sunt Numina, quot sibi Gentes
Contemptum in Domini, quondam finxere Deorum.
Ridicula hinc templis donata à uirgine pupæ,
Hinc pepulum, hinc cunæ, sacro & flore corollæ
Contextæ: & tenera quæis fortè ætate puelli
Gaudent, multa sacris sunt annumerata. Quod usquam
Stultitiæ fuit hoc templis, hoc Religioni
Inuictum sanctæ: seu sint altaria, seu sint
Reliquiæ, seu sint suspensa anathemata sanctis
Tot, quot amœna poli nitidas rotat orbita stellas
Totq; operum species, formæq; uiaq; bonorum,
Tot sine mente preces, & tot ieiunia uultus
Nullius ante Dei pretij, nec nominis, inter
Pisciferas lasciua dapes, temulentæq; Bacchi
Spumantis cyathos. Sed quæ memoranda supersunt,
Non Cato mente sua, Cicero non ore referret,
Quæis Christi in meritum rabie inuasere nefanda,
Peneq; suppressa diuina luce, tenebras
Offudere hominum proh toto mentibus orbe
Luciferi comites Gnati, turba impia, sanctæ
Nec fidei, nec gnara Dei, quæ perfida Christi
Et nostro obsequijs hosti est obstricta perenni.
Fortè quis hic quærat: Quæ uirtus inclyta tanto
Luciferi terris sobolem prouexit honore?
Aut dos quæ præclara animi, quæ gloria mentis?
Vel quæ doctrinæ præstantis? Quas sub Auerni
Horrendi

VICTORIAE

Horrendi specubus uirtutes credis oriri?
Vis Satanae fuit haec, Stygis & Phlegetontis, & Orci,
Ultima uis Satanae, senio hoc qua plurima Mundi
Pectora, & innumeras rapuit sub Tartara Gentes.
Hinc illi sanè stultorum insania Regum
Causa fuit regni, qui simplice mente superbo
Porrexere homini sceptrum, capulumq; corusci:
Quo populos demum fudit, Regesq; potentes,
Caesareiq; decus capitis protriuit, acerbo
Non sine regnorum & foecundo sanguine luctu.
Vana fidem fecit pietatis opinio fraudi,
Fraudi, qua Oenotrias non solum ille impius urbeis,
Sed reliquas Christo auertit longo ordine terras.
Aut iugulauit oues, aut dementauit aperte
Contra infanda loquens Dominum periuria Christum.
Os posuit sublime Polo, Pauliq; Petriq;
Nomine ad horrendae scelus impietatis abusus,
Regna sibi Mundi, sibi regna ascripsit Olympi:
In cuius sint corda manu, & sublimia Regum
Imperia, & sacra iura hominum: qui quod placet aufit
Aut rapere, aut transferre aliò, uel uendere. Caelum
It uenum, exposito scelus omne remittitur auro.
Dummodò opes, arisq; amplos corradat aceruos,
Fit bene quod quocunq; modo committitur: arcæ
Quamprimùm iniecto nummo dissoluitur ingens
Crimen, & offensus tristes ponit Deus iras.
Relligio hinc illi uenalis facta rapaci

seruit

LIBER III.

Seruit auaritiæ. Romæ indulgentia quondam
Teutonicas exhausit opes. Sic prodigus almæ est
Gratiæ, & in patrio tantum profusus amore,
Ut sibi pro tenui multa auri pondera plumbo,
Pro pergameno terras, rura optima, scripto
Suscipere haud graue ducat opus. Diplomata, bullæ
Peruolitant tractusq; maris, terræq; recessus:
His magnum sibi turpis hypocrita uendicat orbem,
Imperiumq; in ouile Dei. Sacra munera sanctis
Olim quæ concessa uiris, soli q; dicata
Ferre Deo placidos, dulcissima pascua, fructus,
Hæc laniata lupis, & apros experta Latinos,
Materiem infandis iam præbent quæstibus aptam.
Hisq; adiuta hominum præfracta libido malorum,
Viscclerum ingenti, Mundi perripit in omnes
Astra sua cælo feriens caligine, partes.

Sed reliquas longo memorandas ordine fraudes
Prætereo, quibus immensam cumulauit opum uim
Dux Erebi, Elysiæ Rex impius ille cohortis.
Pandam alias, quibus inspicias auidissima laudis
Pectora, uirtutes, matris queis protinus aluo
Egressum studiosè imis pater imbuit umbris.

Fastus adest: Satrapas pileatos aureus inter
Eminet: aut humeris Diuûm ter maximus, aut Rex
Ter Regum triplici diademate maximus, alto
Insidet altus equis animo: Sacrosancta sequuntur
Valde humiles pedibus reliqui uestigia Reges.

F

Denotis

VICTORIAE

Deuotis sedenim tundens sua pectora palmis,
 Terreni ante Dei uulgus miserabile uultus
 Procidit, & ueniam scelerum petit à Patre sancto.
 Nec tamen interea Reges proceresq; relictâ
 Relligione uacant ipsis à Patribus: ut se
 Obsequio gnatos patre tanto supplice dignos
 Ostentent, & honore pio sibi dia fauore
 Numina concilient, labijs regalibus atro
 Dedecore affectis, geminantes dulcia, lambunt
 Sæpe Deum aduersus properantes, oscula, plantas.

Ille ne Christi adum caput, ille uicarius orbe
 Hoc toto Christi? aut meritò successor haberi
 Pastorum officio Pauliq; Petriq; piorum
 Debet? & agnosci, qualem se iactat, Olympi
 Et terræ, uitæq; potens, mortisq; Erebiq;
 Qui Christo in totum uiuit contrarius, & qui
 Officia, à sano quæ nemo sanus aperto
 Ni scelere, & turpi contra Christum expetat ausu,
 Regibus à terræ, populisq; impunè requirit?

Obstruite, ô, nares, auresq; ô pectora Christi
 Candida, nunc ingens Camarina mouenda furorum,
 Ruderaq; in cineres Sodomæ demersa nefandos,
 Quæis execrandum scelus est commune, libido
 Auditu grauis, & dictu nimis horrida, clari
 Luce indigna poli, sed nocte premenda perenni,
 Sulphureo bene digna lacu, quam absorbeat ignis
 Cœlitus, æterna & radicitus eruat ira.

Hec

LIBER III.

Hæc Venus est qua se non raro oblectat, & hæc sunt

E' Sodomis brutoq; emissa Cupidine tela:

Queis Satyrorum instar uehementer saucius arsit,

Arsit Hylam imberbem. Vetito non ille sororum

Amplexu abstinuit, Paphio Gnataeq; paternos

Iunxit amore thoros Stygijs Rex ortus in umbris.

Sic fratri soror, & succumbit filia patri,

Sic Gnatae pater, & patris hæsit filia lumbis.

O' scelus ante Deum nullo delebile seculo!

O' Natura atro Naturæ aduersa furore!

O' amor heu casto nimium trux hostis amori!

Arsit equum gnatumq; Semiramis impia, taurum

Pasiphaë, sed Myrrha patrem: scelera at tua tanto

Hæc superant, quanto præstantior omnibus, atq;

Tu triplici insignem attollens diademate frontem,

Sanctior ante Deum, & magis inculpatus haberi

Expetis, & toti tua iactas numina Mundo.

Non ne tibi impurus suasit, tua gloria, Dæmon,

Et legem uiolare Dei, & sacra uincula casti

Rumpere coniugij, castos arcereq; castis

Coniugibus, dura & uesana lege maritos?

Vt, qui scortator, qui mœchus es impius, uno &

Communi latas foedares fornice terras?

Sic data frena animo, maiorq; licentia apertè, &

Scortandi impunè. hinc quæ lex sanctissima mœchos

Multat morte alios, stupet hæc ad Presbyterorum

Flaccida concubitus, adq; incestos hymenæos.

VICTORIAE

Quid mirum Veneris meretricia regna renasci
 Quotidie? atq; pluisse super tot moenia turmas
 Lenonum audaces, fecundo ac agmine scorta,
 Atq; illegitimo dudum sata pignora lecto?

Sic bene prospectum, sic almae Ecclesiae honori
 Consultum, hac adeo pollutis Gentibus atra
 Colluue? Sedenim fieri haec quid deniq; mirum,
 Cum constet capiti sua membra annexa per omnes
 Respondere modos? Anteit caput, illa sequuntur:
 Aut Sodomae meditatur opus, meditantur & illa:
 Aut inhiat scortis, inhiant & membra: quod illud
 Exprimit, hoc referunt simili sua membra furore.
 Sic genius genio, sic ars bene conuenit arte.
 Sic Satanae caput, & coeunt membra omnia: mendax
 Os illis unum, blasphemaq; lingua Tonantem
 Quae petit, inuertitq; sacri mysteria Verbi.
 Vnum illis cerebrum stolidum uertigine, & unus
 Ingens, isq; adeo uenter luxu improbus, ut non
 Hunc saturent Sibaris Capuaeque opulenta profundum
 Fercula, non Asiae regio, quasque extima mittit
 India, deliciae: tanta illa uorago. Fel unum,
 Estq; unus stomachus, rosei sitis una cruoris
 His, qui sanctorum in caedes & uiscera ferro
 Ira ardente ruunt, laqueos fascesque coruscant,
 Ardeat ut candente pyra Christi inclyta proles.

Hinc te sanguinei, tua quos manus impia, fontes
 Fudit, ad opprobrium aeternum infecere: tuamque

Ante

LIBER III.

Ante Deum exosam, & fusca caligine sedem
Reddidit obscuram Christi cruor ille piorum
Martyrum, in Hesperia, perq; arua Brytannica, & oris
Francigenum horrenda laniena effusus. Et illo
Teutoniae maduit terra inclyta tincta cruore,
Per te, qui patre Lucifero satus impietati
Te deuouisti, decus ô & imago parentis,
Errorum scaturigo ingens, scelerumq; profundus
Fons super Europæ populos & climata fusus.

At saltem hoc uno experiantur crimine Gentes,
Bestia Tartarea quòd sis, quæ nuper abysso
Ascendit contra coelestia mœnia Christi,
Quòd tua non tantum iam sanguine uiscera turgent
Christiadum: quòd non tantum uerissima sancti
Inuoluisti errore tuo mysteria Verbi:
Aut Patre quòd populos auertisti impius alto.
Nec tantum in Sodomæ Idalia tua membra palestra
Fœdasti, sed quòd super hæc tam dira relatu
Syluarum in latebris, & per spelea ferarum
Victima multa tuo est à te quoq; cæsa parenti.
E' Phlegetonte truces non ne in tua uota uocasti
Demonas antè tuis rebus seruire paratos?
Cum quibus in proprio firmasti sanguine fœdus:
Quorum opera & studio Christi uexilla secutos
Acrius impeteres, quassataq; mœnia Gentis
Christiadum erueres Tarpeia spicula uibrans.
Quò sic Luciferi patris impia regna uigerent:

VICTORIAE
*Et tota huic Gentes copulatae deniq; terra,
Aeterna Elysijs augerent funera flammis.*

FINIS LIBRI TERTII
VICTORIAE.

VICTORIAE LIBER
Quartus.

ARGUMENTVM.

Quarto libro illa ingens & insignis uictoria subijci-
tur, qua Antichristi fraus, qua tamdiu toti terrarum or-
bi insolentissimè insultauit, & inprimis Europam de-
mentauit, per certos, & ad hoc tantum opus perficien-
dum, à Deo Opt. Max. excitatos homines, ita patuit, vt
ultimo hoc Mundi æuo, propagata undique & cognita
Euangelij Christi purissima ueritate, infiniti errores Pa-
patus, infinitis penè in locis conciderint. Inducuntur
autem quarto hoc libro, statim prima fronte, nonnulli
fideles, qui olim pro Christi ueritate fortissimè pugnan-
tes, ipsam suo sanguine testati sunt. Enumerantur in-
de præcipui antesignani ueritatis, per quos hoc æuo De-
us Antichristi fraudem detexit. Ornantur singuli suis
præconijs. Describitur hinc Antichristi ultimus cona-
tus: enumeranturq; duces hostium, notatur locus, quo
uterq; exercitus confedit. Antichristus Christi castra
inuasurus hortatur suos, ut fortiter pugnam capebant:
idem Christus facit. Uterque aciem instruit, prælium
summa ui committitur. Et sanè pulchrè hinc depingi-

LIBER IIII.

Cur, qua ui hostes in oppugnanda ueritate usi sint, quibus comminationibus, artibus & fraudibus nostris insultarint: & qua constantia, contentione & uirtute nostri ueritatem defenderint, tandemq; ope diuina adiuti Papatum late profligarint. Subijcitur huic demum uictoriae Triumphus.



IA age Christiadū niuea clarissima mēte
O' Agni signata phalanx, & amica Deo-
rum
Summa Dei, tibi prisca excelso in pecto-
re uirtus

Eia animos acuat, tibiq; arma in bella ministret.
Quando sat indultum somno, uel quando quieti?
Euigila toto rerum pulcherrima Mundo.
Christus ad arma uocat summus dux noster in armis.
Expedit arma Deus: tuba iam cœlestis aperto,
Tympanum & in lato iam conuocat agmina campo,
Militiæq; manum sanctæ. Tarpeia forti
Tentanda est Domini tandem, mala bestia, ferro.
Exurenda igni, quassandaq; mœnia magnæ,
Et tenebræ egressæ totum Babylonis in orbem
Nunc euellendæ, donec lux aurea cœlo
Emicet, & uigeat sua mox uictoria Christo.
Iam iam signa micant nostræ pulcherrima Gentis,
Aeratæq; uolant ducis ad tentoria turmæ.
Ad magnos iam tum spectabant omnia motus.

VICTORIAE

Vna animo cunctis uersatur gloria, Christo
Pro duce sanguineos non detrectasse labores,
Et pulchram subiisse necem, per saxa, per ignes
Aeternæ excelsos uitæ quæsisse triumphos.
Ardet amore cohors ueri sanctissima, & ardet
Quisq; sua in Stygium defigere spicula monstrum.
Hæc ubi Romuleas fama excita uenit ad aures,
Tartareaq; citò monitus patre, perfidus aula
Filius, emisso uolucris cursore: paratas
Esse Dei Gentes Stygiam oppugnare cathedram,
Quarum armis ingens colluceat orbis, & acri
Omnia misceri bello, mala cuncta minari
Insensis hostes animis: tum protinus amens
Arma uiri, ferte arma uocat, mihi Mulciber enses
Suppeditetq; orco laqueos, & Lucifer ignes.
Tela manu horribili tonitru, fera fulmina dextra
Concutit, & calidas spumanti ore expuit iras:
Non aliter quàm si ferus uno uerbere taurus
Ictus, & incertam repulit qui fronte securim,
Aduersum omne ferit, ruit ira ardente, trementes
Igni oculos interfusus sub pectore seuit.
Sic furit ille ferox animi, in sua fœdera Reges
Sollicitat, populosq; ciet: uelut Africus altæ
Thetios incumbens domui, rapido impetu ab imo
Gurgite sublimes rapit usq; ad sidera fluctus:
Aestu immanè fremunt commota palatia Nerèi.
In noua propensis animis mox bella feruntur

Intima

LIBER IIII.

Intima pro socio commotæ uiscera Gentes.
Multa ducem in nostrum iaculata opprobria, nostræ
Pessima ab hoste truci conuitia dicta cohorti:
Antiquam abiurasse fidem, Diuûmq; hominumq;
Abiecisse iugum, foedasseq; templa Deorum.
Schismaticos clamant, nos impia demonis atri
Mancipia, in blasphema Deum sanctosq;. Quid ultrae
Queis Deus & Diui sint clausuri atria cœli:
Ad quos pertineat nihil alma Ecclesia, apertos
Tanquam hostes fidei: queis portio nulla salutis:
Queis quoq; delendis subito communibus armis
Sit concurrentum: obscuris ceu saltibus acres
Irretire lupos, aut ursos figere telis,
Fulmineasq; sues, opus est commune uirorum.

Copie in Hesperia tota, ualidaeq; cohortes
Scribuntur terra Oenotria: per Gallica rura,
Moenia & Angligenum, perq; omnes, extima, campos
Orbita Teutonia quâ se usq; ad climata magni
Explicat Oceani, strepitu armorumq; fragore
Cuncta tremunt: lachrymis resolutaq; sidera plorant,
Tam dirum tentasse nefas, Gentesq; coisse
Christiadum ut cœlo tollant nomenq; decusq;:
Ut sua Lucifero stent integra regna parenti.

GENS est dia, Dei Gens inclyta gloria regni,
Firma armis, inuicta animo, pro nomine Christi
Sæpe Diabolicos Mundi perpeffa furores:
Gens Valdensis honore uirum clarissima, primi

VICTORIAE

Pro duce mille pati charæ discrimina vitæ,
Magnanimoq; ausi fera castra laceffere bello
Hostium, in aduersas armis irrupere turmas,
Consertæ non rarò manus, res actaq; strictis
Ensis: & pede pes, mucro mucrone, uiro uir
Heret, & in certam conspirant singula mortem.
Vi ualida, & uaria depugnant sorte: sed alman
Valdenses miseratus opem pater ille Deorum
Cœlitus emisit, quin uires addidit agris.
Perrumpunt, medios his est uia facta per hostes.
Et licet hæc sanè uictoria sanguine multo
Constiterit, cæsis fero ab Albigensibus hoste:
Vexillo erecto tamen ad ducis inclyta Christi
Castra, & Christiadam totam accessere phalangem.
Et tu quàm felix, & clara Boëmia sancto
Milite, sideribus quondam illustrata duobus!
Stella tibi nebulas oculis pulcherrima sanctus
Hußius abstersit, ceu Lucifer ortus ab Ida
Præcedit Solem, & spissas fugat eminus umbras.
Lumen & hoc in te uisum est Hieronymus ingens,
Cui Musæ & Charites, cui cœlo Spiritus alto
Sanctus, sidereos linguæ infudère liquores.
Qui non ingenio, nec cessit mente Platoni,
Eloquio tibi nec Tulli, uirtuteq; summos
Helladis, & Latij Sophiæ qui uicit alumnos.
Hæc duo non patriæ solùm, sed lucida Mundi
Lumina totius, fortissimæ pectora bello,

Cœlitus

LIBER IIII.

Coelitus Heroës armati in prælia, uulnus
In caput Oenotriæ ferro inflixere Chimææ,
Vulnus quod nostro tam sæpe recruduit æuo,
Inq; animæ sedit pallentes altius ædes.

Concilium at toti impatiens indixerat orbi
Bestia, quæ peramœna lacu Constantia septa est,
Huc publica allecti, sancita & Cæsaris ore
Ore manuq; fide, contra fas omne, perenni
Dedecore imperij, contra ius Gentium, iniquis
Iudicibus circumuenti, obtrectanteq; lingua,
In cineres duo Phœnices sunt igne redacti.

Ante hos Vuicleui iam penè absumpta sepulchro
Ossa extracta, rogo ereptos ardente triumphos,
Et uita palman tandem meruère negatam.
Te quoq; crudeles, nimio, Sauonarola, flammæ,
Antè gula laqueo fracta, rapuère furore,
Tale nihil meritos laceratum immaniter artus.

Tanta his perfidia, & crudeli morte peremptis,
Cuncta repente timor peruasit pectora: fato
Territa languescunt magni ducis agmina Christi:
Qui ratus haud sibi iam cunctandum, fulgur aperto,
Ceu rutilos renitens radios iaculatur Olympo,
Teutoniæ in tenebras Phœbeo clarius igni,
Demittit lumen: uitæ & scaturigine fontes
Cœlesti, summa sanctorum effundit ab arce.
Imbuit his multos mirando Heroas honore,
Hosq; duces creat & diuersis præficit alis.

Primum

VICTORIAE

Primus at hos inter rutilanti casside crista,
Magnanimos excelsa ferens imitata leones
Pectora, Lutherus Saxo emicat inclytus Heros,
Vas Domini electum, lux inter magna tenebras,
Terror & exitium magnæ Babylonis, & Hydræ
Pallida mors Latiae: Herculeos hic sæpe labores
Non solum æquavit, sed & alto excessit honore.

Hunc iuxta insignis uera pietate Melancton
Ingreditur comes, interpret clarissimus, almæ
Et dux præcipuus Sophiæ, sacrisq; peritus
Tractandis armis: in cuius pectore mites
Antiquas reparare domos habitareq; Diuæ
Consuetæ Charites. Dux declaratus ab illo
Tempore, qui frænaret obortas mitior iras
In grege Christiadum, & turbas sedaret amœnis
Consilijs, pietate pari clementeq; zelo.

Ast nostras Patris altitonantis ab æthere summo
Helueticas cum respexit clementia terras,
His noua lux orta est, decus immortale, cubili
Auroræ egresso Phœbo fulgentius astrum
Zuuinglius, ante Dei pulcherrima gloria uultus.
Quem si quis magno Luthero comparet, ille aut
Non minor, aut non hic excelso maior honore est.
Præclari ambo duces, atq; iisdem insignibus ambo
Egregij in multis: ambo pro nomine Christi
Qui tot sustinuere minas, & qui tot agones:
Qui tot mortifera Satanae uibrata pharetra

Spicula

LIBER IIII.

Spicula, & insultus, odia infinita, procellasq;
Irarum excepere inuicto pectore duras.

Saxonicas Lutherus aperto Marte phalanges,
Zuuinglius Helueticas Christi ad tentoria turmas,
Et Rhætos acres bello, Rheniq; colonos
Duxit, & in sacras fecit consurgere pugnas
Deutos animos: ardore capeffere sancto
Arma, uirosq; uiris, non ira aut cuspide ferri
Terreni, at Verbi rutilis concurrere telis
Aeterni: ut sua iura Deo, Christoq; redirent
Hos inter populos, decus, imperiumq;, & honores.

Sed tibi quò sacris ô Zuuingli fortior armis
Infereres diuina tuæ modò lumina Genti,
En Pater ille Deum tibi summo iunxit amore
Oecolampadium, sacræ ædis lumen, & ingens
Qui decus est Basilea tuum, tua gloria. Vero
Omne Rauriacas, & uero lumine terras
Purgauit, Satanaq; immanibus eruit umbris.

Num te præteream Christi ô clarissime miles
Non tantum, sed dux inter pulcherrime cunctos,
O' pater, ô uirtute senex sanctissime, Verbo
Doctrinaq; potens ô Bullingere, Deorum
Munus inexhaustum, terras miserantium! Olympâ
Te duce iam nobis uia facta est notior alti.
Quàm bene pauisti, salubri & quàm diuite uictu
Plurima militiæ summi ducis agmina Christi!

Te quoq; diuinos memorans Caluine liquores.

Mirer,

VICTORIAE

Miror ab aethereo manantes caelitus axe.
 En fateor mihi tota tui mens flagrat amore,
 Ex quo Nectareos Hyblæ referentia rores
 Flumina, & ambrosios stillantes hausimus ore,
 Ex sancto ore fauos. Tibi gratia depluit instar
 Imbris, ab excelsa summi Patris arce Deorum,
 Gratia diuino nunquam concessa Platoni.
 O' quanto pollent tua spicula robore, uallum
 Et turres subuertendi montesq; gigantum,
 Quæis caelo insidias (moliti infanda) struentes
 Regna Dei inuasere truci caelestia bello!

Sed quis is est cingens Christi latus inclytus Heros,
 Quiq; altos in honore duces supereminet? Ille est
 Musculus aethereo ceu lucida missus ab axe,
 A summo fax magna Deo data caelitus orbi:
 Cuius doctrinae diuina potentia sanctæ
 Strangulat Oenotrias iamdudum fortiter hydras.
 Cuius ut ingentem est notissima fama per orbem,
 Sic illum toto orbe boni uenerantur, & illum
 Orbe tremunt toto Latij pecora impia Regis.

Tu quoq; ades nulla satis ô memorande Camœna
 Martyr, ab Etruscis quod nobis protulit oris,
 Splendida splendidius Phœbo Florentia sidus.
 Dux ingens Martyr, dux incorruptus, & alti
 Viribus ingenij præstans, præstantior arte.
 Cor similis cygno, candenti oculosq; columbae,
 Mentem serpenti, forti pectusq; leoni:

Qui

LIBER IIII.

Qui toties uictor, superatis hostibus, altum
Concussit ferro Latium trepidante cacumen.

Nec tibi dedecori est Germania mille uirorum,
Mille ferax hominum doctorum, nec tibi fato
Communi, sed enim diuinitus obuenit ingens
Bucerus patriæ decus, indubitataq; terræ
Gloria: quem si quis reliquis iam conferat unum,
Non medius, non summus erit, non infimus unus,
Qui certat summis uirtute Heroibus, & qui
Torsit in aduersos telum feliciter hostes.

Et tibi in Helueticis ô illustrissima campis
Berna, instar quæ pulchra rosæ inter lilia uernæ
Candida, quæq; micæ inter ceu luna minora
Sidera, quàm tibi præclarum & peramabile sidus
Ortum est, ceu Phrygiæ rutilans in montibus Eos,
Hallerus sacer antistes! qui magnus in armis
Præco Dei, patriæ uindex, ut, lege soluta
Infanda, excussa sacraq; tyrannide, nuper
Romuleas subuertit opes, Lux aurea nostræ
Reddita mox Genti est, qualem sanctissima quondam
Vidit apostolico rediuiua Ecclesia seculo.

Multi alij ad nostri celebres tentoria Christi
Accessere uiri, fortissima pectora, quorum
Incluta prætereo hic breuitatis nomina causa,
Commemoranda alibi. Nunc impius ille Deorum,
Ille Dei, & sanctæ sobolis ferus hostis & osor,
Pugnæ auidus, summiq; tenax sub corde furoris,

Ex Itæ

VICTORIAE

Ex Italum aduentat laribus: quem mille secuti
 Dæmones, & Furia cingunt, quas Lucifer orco
 Miserat auxilio: ualida hinc illincq; cohortes,
 Audacesq; duces, cataphracti, equitatus, & omnis
 Effusi generis pedites arua omnia complent.

Fit uia ui, strepitu reboant summi atria cœli.
 Ira ardente fremunt hostes, ferro obuia & igni
 Prosterunt, populantur, & iræ opprobria miscent,
 Proscinduntq; ducis petulanti ore inclyta Christi
 Agmina. Ni summo Patre nostra exorsa fuisset
 Res, & sancta fides, atq; omnipotente Tonantis
 Hæc subnixa manu casus superasset acerbos,
 Atq; inter tantas, tam dira pericla, procellas,
 Absorpti, abrepti subito ceu turbine cuncti
 Issimus pessum penitus, nomenq; decusq;
 Sub magno nusquam nostrum appareret Olympo.

Magnus erat cunctos inter dux Eccius hostes,
 Eccius ille ferox, tumidusq; animosus, & audax,
 Ore potens, sed quo non mente insanius ullus.
 Huic succedit ouans ingente Prierias ausu:
 Ast illi flagrante Iacobus Hogostratus ira,
 Fasciculos ensesq; strepens, delirus asellus.
 Acer Iohannes Faber hunc sequebatur: & illum
 Sub uaria Proteus Murnerus imagine, feles,
 Et uulpes, imitansq; canes, ursosq; feroces.
 Nausea & hinc aderat, stomachum qui sæpe moueret
 Christiadum, repetita adeò uertigine crebrò

Horribili

LIBER IIII.

Horribili: inficeretq; cibo malè uiscera cocto,
Atq; intemperie infanda. Cui proximus ille
Ille nouus Simson Mediolani acer alumnus
Astabat præco indulgens, & prodigus almæ
Gratiæ ab Oenotrijs uenientis uenditor oris:
Qui cœlum & uitam, cœlestiaq; omnia charo
Militibus pretio, croceo uendebat & ære.
Castra tonant numinis in pelues undiq; iactis.
His quoq; se adiunxit dux Saxo Georgius, ira
Stramineisq; strepens hastis: quo uix mihi toto
Ridiculus magis est, & stultior ordine uisus.

Quæ tibi mens Heinricæ fuit Rex maxime? quis te
Abripuit zelus nuper præposterus, alta
Seposita regni sic maiestate, nefandos
Ut calamo sine mente uiros sequereris, aperto
Non sine dedecore, ut tua sic notissima Mundo
Ira Dei fieret contra inuiolabile Verbum?

Post hunc purpurei proceres, à sede legati
Emissi Stygia incedunt, calcaria Regum,
Cæsaris & stimuli: populos qui in prælia, & ipsos
In Christi armarent sanctissima uiscera, Reges.
Hos inter proceres erat horum maxima fama
Gloria, Maluendæ, Campegi, & Caietani.
Quin Cheregattus adest, & Granuellanus, & omnes
Sanguinis exuperans Reginaldus Polus amore,
Et mala Teutoniæ pestis Farnesia proles.

Heu quæ tempestas Italum orta penatibus alpes

G Transijt

VICTORIAE

Transijt aërias, quàm tristis grando, quot imbres!
Heu mihi quot scissa fusca, fera fulmina, nube,
In nostros iaculata lares emissaq; terras,
Cum tonitru incubuere aruis, atq; urbibus altis!
In segetes ueluti summo de uertice latas,
Saxa trahens secum torrens ingentia montis
Voluitur, inq; boum fertur grassante labores
Mole sua: sternuntur agri, sata leta colonum:
Sic Christi in segetes furibundi immaniter hostes
Inuecti, pedibus teneras late intus aristas
Proculcant: gemit omnis ager lachrymantibus agris
Agricolis, tantos Christo perijsse labores.

Agmen adhuc ingens, Stygias sata magna fauillas
Inter, & ex Erebi soboles tandem excita regnis,
Detrusa ad superos, tumidi nigra monstra Sophe.
Doctores, Dominiq; magistri amplo ordine nostri,
Inflati buccas, repleti lumina fastu,
Grandiloqui, sed duriloqui, titulisq; strepentes
Millibus in medijs ibant, ceu nobile robur
Belli, & militiae præclara corona superba.

EST locus Eoas quâ Sueuia respicit oras
Magna, ubi Vindelicos Augustæ mœnia campos
Lata tenent: ubi demissas specula undiq; ualles
Cingit, & in latos prospectum deijcit orbes.
Hic Christi in media consederat inclytus arui
Planitie, instructus sanctis exercitus armis
Vallo almæ fidei septus, spe firmus, ad omnes

Intentus

LIBER IIII.

Intentus belli casus, ad utrunq; paratus:
Vel forti sua castra manu defendere, uel se
Et sua pro nostro in mortem dare pignora Christo,
Fundere uisceribus roseas & sanguinis undas.

Nec procul hinc Romana phalāx in uertice summo
Constiterat prouecta iugi, iam desuper ima
Valle Dei ducis inspiciunt tentoria Christi.
Letitia exultant omnes, sua gaudia letis
Gestibus, audacesq; uago clamore furores
Testantes, Christo iam quæq; horrenda minantur.
Iam sibi quisq; animo mactandos è grege Christi
Proponit uel sex, uel septem, uel quoq; plures.
Ira ardent omnes, cunctis uictoria mente
Heret, & hæc persuasa, alacres in prælia reddit.
Cuncta notant oculis: speculantur castra, quis ordo,
Quæ series, quæq; arma & disciplina uirorum:
Quo sua consilio rationeq; munit hostis
Castra, quid intendat, quæis uiribus adsit & ausis.

His sic lustratis propius mouet agmina magnus
Dux Erebi: quò sic auidas in prælia turmas
Christiadum eliciat castris, atq; impetu in uno
Obruat, egressasq; extirpet funditus omnes.
Sed tamen his nil mota phalanx nec territa Christi
Intra septa sui se continet inclyta ualli.

Tum patre Lucifero satus acri feruidus ira,
Spumanti sublimis equo (cui gemmea, & auro
Palla rigens, protensa pedes rutilabat ad imos:

VICTORIAE

Cui triplici diu frons maiestate corona
Conspicua, æthereos mirum quam augebat honores)
Et proceres, & cuncta tubæ uocat agmina cantu,
Inde quibus fertur tandem sic ore locutus:
O' socij fortes, inuictaq; pectora fato
O' mecum quam sæpe uiri contra alta profecti
Mœnia Christiadum, & meriti clarissima mecum
Ante meum nunquam morituræ encomia laudis,
Ante patrem nostrum Stygijs qui præsidet aruis:
Extimulet memores uirtutis gloria prisca.
Nunc antiqua animo laus, & memorabile nomen
Excitet ingenitas uobis in prælia uires.
Fortibus audendum est, his uultus sola serenos
Ostentat fortuna, ignauos deserit: alma
Gloria præclara semper uirtute paranda.
Impunè ante oculos hostilia castra? Sed an non
Hi sunt quos uano haud ardore inuadimus hostes?
Hostes, à quibus est heu tanta iniuria patri
Facta meo. Vel quo lachrymarum flumine tester,
Tester ab his illata meo immortalia regno
Damna? Sed hinc etiam quæ sint incommoda uobis
Orta, quis est uestrum qui non hoc sentiat? An sic
Illudi toties nobis patiemur inulti?
Iamdudum arma timent hostes uallo undiq; clausi
Nostra: suis dudum diffisi rebus apertam
Detrectant pugnam miseri, prodire nec audent
Obsessi. Quare properantis lucis adorti

Aduentus

LIBER III.

Aduentu, summis hostilia uiribus antra,
Turbine ceu subito in steriles redigemus arenas,
In cineres, in candentes rapido igne fauillas.
Hæc penitus superanda Dei euellendaq; proles.
Nec Deus his nostris obstabit fortior ausis.
Hoc me non uani augurio docuere parentes:
Bissen ex alta crocitantibus ilice corui
Aspicite an non cuncta ferant felicia nobis.
Este animo prompti, firmateq; corpora pugnae.
Fortem operam sua præstanti non præmia deerunt
Grandia: præbendæ, tituliq;, & pallia, bullæ
Grandisonæ, & rubeo madefacta cruore tiara.

Applausu resonante omnes hinc arma coruscant,
Voce manuq; alacres optata in prælia surgunt.
Quisq; duci tanto audaci se deuouet ausu,
Expectatq; auido uenturam pectore lucem.

Christus at audentes in tristia prælia Gentes
Conuertisse animos ut uidit: & omnibus illuc
Consilijs ferri, studijsq; incumbere cunctos
His solum, ut ferro aggressi iam castra potenti
Oppugnent, simul ipse suum præconibus agmen
Conuocat. Hic humili residens demissus a sello,
Succinctus tenui lumbos, & pectora lana
Candida, & è duris ornatus tempora spinis,
Non auro, aut gemmis, non claro iaspide fulgens,
Sed bonitate Patris, sed gratia amabilis alti,
Verba facit: Vos ô mea Gens, ô unica pro qua

G 3

Sponsa,

VICTORIAE

Sponsa, è sidereo descendi nuper Olympo,
 O' dilecta Patri, mea dulcis amica, per omnem
 Sola meis coniunx oculis gratissima Mundum,
 Pro qua purpureos in dura morte cruores
 Fundere iussit amor, charam & deponere uitam,
 Candida tolle animos, nullo succumbe timori
 Progenies: Deus est pro te, tua gloria Christus:
 Me duce Tartareas uinces inuicta phalanges.
 En ego uestra adero semper uictoria uobis.
 Hostis is est idem, toties quem sudimus hostem
 Igni ardente mei ferro fulgenteq; Verbi:
 Qui tantum strepitus armorum nouit inanes,
 Et ferro tantum in mortalia uiscera seuit
 Nostra, sed æternos animæ non tollit honores.
 Quin mors ipsa fide est uobis uictoria: morte,
 Morte poli, Patris atq; throni, & noua uita patebit.
 Credite uincetis perstantes fortiter, & sic
 Finis in ætherei uos prouehet atria cœli,
 Auspicijs felix finis, felicior huius
 Mundanæ illecebris uitæ. Sic itur ad astra.
 Sic Patris in summos uos ò penetrate penates,
 O' mea candidiora die, fulgenteq; Luna
 Pectora, mille fauis stillantia, mille salutis
 A' me perpetuæ æthereis dotataq; riuus.
 Auxilia ex alto uobis Pater æthere mittet:
 Victricesq; manus, & forti uincere dextra
 Hic dabit: huius adest uestro sub pectore pignus

Spiritus

LIBER III.

Spiritus excelsa sanctus demissus ab æde.
Lætitia exultate pij, uincentibus alto
Restat amœna polo palma remicante corona.
Este alacres ferro, clypeos galeasq; furentis,
Telorum segetem hanc hostis contemnite uanam.

Sic ait. Illi omnes sublata ad sidera uoce,
Robur, & inuictæ spirant uirtutis honorem
Pectore: sola mori pro Christo gloria cunctis
Vna animo subit, eductoq; ferire tyrannum
Quisq; ardet ferro, & ualidas percurrere turmas.
Iam Phœbi Antipadum cita biga excesserat oras,
Auroræq; diem facies prouexerat alman
Aurea, ad occiduos pertingens lumine campos
In dubio: nam somno oculi, & iam nocte soluti
Pallida adhuc cœlo paulum astra micare uidebant.
Tum dux Elysijs nuper satus impius aruis
Signa canit, iubet ad sua mox uexilla cohortes
Tendere, quid fieri uelit inuigilare: quadratas
Hinc acies pulchro tres instruit ordine. Prima
Ausoniæ Gentes, auidosq; cruoris Iberos,
Altera habet Christo aduersos magno agmine Gallos,
Quosq; odiû Angligenas in Christum armauerat ingēs.
Tertia Teutonicas haud uano robore turmas
Continet: huic ira in nostras dux Eccius audax
Præficitur: sed enim Hespericæ Farnesia proles
Cardineo nuper mirum quàm ornata galero.
Gallorum ingentes Petrus Maluenda cohortes

V I C T O R I A E

Ducit, & elato tonat, & quæq; imperat ore.

Signiferi rutilis attollunt tempora cristis,
 Et uexilla rotant, ualidos torquentq; lacertos.
 Prouidus ast alias Erebi dux euocat, illas
 Abdit in insidijs aliquot per deuia turmas
 Compita, sub syluæ latebris, quæ audentius hostes
 A' tergo egressos geminato audacter adortæ
 Marte petant. His præfecti Murnerus, & acer
 Ense Faber, tumidoq; Iacobus Hogostratus ore,
 Imperitant conuersi animos in prælia fortes,
 Fortunæ casus quoscunq; subire parati.
 His simul adiunctus Reginaldus Polus, honore
 Prælatus capitis multis, & amore cruoris.

Hinc acies alis firmat, nigroq; sclopetis,
 Agmine terribiliq; uirum latera undiq; claudit:
 Qui flagrante globos iaculati sulphure, mortis
 Multa superfundant nostris fera spicula castris.

Ipse sed in medijs Erebi dux millibus, inter
 Tartareos equites, eques altior omnibus, acri
 Vectus equo incedit: circum multa agmina, circum
 Delecti pedites, proceres, Regumq; phalanges
 Sedulitate adstant prompta, & uaga turba Sophorum
 Circumfusa ambit, Gens dudum extrusa tenebris
 Tartareis, ueros inquirere missa fideles
 Prodercq; insontes animas, rituq; ferarum
 Dilaniare gregis, scuire in uiscera Christi.
 His unâ (non uana feram) ceu grandinis imber,

Errorum

LIBER IIII.

Errorum sentina ingens, pelagusq; furorum
Incedit: uario sequiturq; Sophistica passu,
Fusca oculos, atram exhalans tetro ore Mephitim:
Exul Cecropias iussa olim excedere terras,
Hospitio nunc lucifugis excepta Scotistis.
Iuxta illam ingreditur iam iam mente agra, sed atræ
Trux intemperie, uarios mentita colores
Missa. Poli hæc tendens ad lucida sidera palmas,
Et tremulum pectus tundens immurmurat, aut mox
Summa furens animi longo ferit astra boatu.
Hanc Furia, Lemuresq; truces, Laruæq; frequentes,
Et Manes reuocati Orco comitantur ab imo.
Falsaq; Relligio præstò est, foedata nefando
Concubitu meretrix, castos exosa hymenæos,
Incessu atq; oculis incestos prodit amores.
Hæc tot plena trahit figmentis plaustra, quot imbres
Effundunt Zephyris uenientibus æthere guttas.
Talis erat nostri tantusq; exercitus hostis,
Aere micans, uisu horribilis, feritate timendus.
Arma omnes letho, letho arma parata ferebant,
Innumeros casses, laqueos, cum compede tricas,
Decipulas, dentesq; canum latrante tumultu,
Iras ursorum, rapidos unguesq; luporum,
Rostra harpyiarum, Canonum reboantia late
Tympana, Decreti q; tubas, et cymbala sancti
Doctoris, uario pictasq; ænigmate peltas
Pars cerebro galeas, loricas pars sine corde,

G 3

Quas

V I C T O R I A E

Quas peruersa sua connexit opinio fraude:
Pars blasphemata imo mendacia gutture, & atro
Fulmina cum tonitru: pars tela ac arma furoris
Omnia carnificum torquendis artibus apta:
Pars gestare ignes, funes, ensesq; ueneno.
Tinctos, & duram comitantia spicula mortem.
Horrendo cœlum omne tonat clamore, fragore
Terra tremit, per puluereum cœli orbita flumen,
Non potis est monstrare suas pulcherrima flammæ.

CHRISTVS ut hostiles uidet aduētare phalanges,
Signa iubet canere, & subito ad uexilla paratas
Viribus atq; animis omnes contendere turmas.
Haud secus ac iussæ faciunt, promptæq; alacresq;
Excipere intendunt hostes, atq; arma coruscant.
Pro Christo duce, pro castris, pro Relligione,
Proq; fide antiqua, non charæ parcere uitæ,
Oppetere ante diem, uel forti uincere ferro
Omnis auet: mens est eadem, mens omnibus una.

Tres acies hosti opponit firmo ordine Christus,
Robore præstantes inuicti militis omnes.
Prima est Saxonica, iuxta hanc est altera Gentis
Heluetica, post has Gallorum tertia, qui se
Adiunxere suo per tot discrimina Christo:
Hesperia hos inter populi censentur, & Angli,
Martyrio clari proceres Christi; fideles:
Huic dux Calvinus, quo uix præstantior alter
Præficitur, primæ magnus Lutherus, & ingens

Zuuinglius

LIBER III.

Zuuinglius Heluetica, patriæ peramabile lumen,
 Saxonica hîc acie sedenim sacra signa potentes
 Viribus Heroës gestant, longo ordine, Franco
 Huttenus, pius ille Georgius Anhaltinus,
 Et iustus Ionas, Cruciger, Capito, Hyperiusq;
 Fagius, atq; acer Christi Sleidanus alumnus,
 Zellius, atq; Hedio, sed & ingens Sturmîus armis.

Ast acie Heluetica, tu, quod Constantia sidus
 Te Blaurere tulit, Christi fers nobile signum.
 Tuq; pater Gualthere senex celeberrima Gentis
 Gloria, & ô patriæ magnum decus, ut tua primùm
 Emicuit, gauisa Dei est turba inclyta, uirtus.
 Nec tibi dedecori est Tigurum urbs clarissima Iudæ
 Ille Leo, nec Simleri præstantia fama.

Sic neq; Rauriacas ô inter nobilis arces,
 Grynaea est tibi dedecori, Basilea, propago:
 Nec tibi Berna potens Stirps Muscullana: sed almo
 Contigit hæc etiam proles Halleria fato.
 Kolbius in media, Vadianus & impiger altis
 Stant acie signis: nulli sua gloria desit.

Tertia signiferos acies te sancte Farelle,
 Teq; habet ô præco Verbi facunde Virete,
 Et te, qui æthereas superas doctissime stellas
 Beza Dei antistes sacer, ô, quem cœlica summa
 Luminis æterna mersit scaturigine Pallas,
 Te non abripiet mors totum, nec tua fato
 Desinet, obscuras nec laus rapietur in umbras.

Ambiti

VICTORIAE

Ambitu at in toto castrorum hinc inde cohortes
Dispositæ excubijs, quacunq; irrumperet audax
Hostis, ut occurrant: aut si quos ferre labores
Conspiciant nimios, adsint, operaq; recenti
Hos quacunq; leuent. His solum uincere sueti
Præfeti Martyr, Bucerus, Amator equorum,
Musculus & senior iam fato Eutichius Heros,
Illeq; qui rutila duxit de lampade nomen:
Et quo nec uiuo uix quicquam acceptius orbe,
Nec iam defuncto patrijs optatius oris,
Bullingerus honos belli, flosq; inclytus almæ
Militiæ. Sic his solita in statione locatis,
Annexæ hinc cunctis acierum cornibus alæ,
Pollentes uirtute uirum, qui flamine sancto
Accensi, sana qui mente, ac ore diserto
Tela Dei ingressos Verbi iaculentur in hostes.

In medio sedenim, sanctorum in millibus ille
Spirituum Rex, Dux noster Deitate coruscans
Christus agit: circum coelestia Lumina Diuæ
Stant Charites, circum soboles æterna Tonantis
Religio niueis Euro uelocior alis,
Nuda sinu, radiante coma, pulcherrima uisu.
Hanc iuxta ingreditur Pietas, Dilectio, Spesq;
Spes uitæ æternæ ætherea redimita corona.
Angeliciq; adsunt coelesti lumine cœtus.
Astant & proceres, claro & diademate Reges,
Quos Christo adiunxit summi clementia Patris:

Anglorum

LIBER IIII.

Anglorum decus Eduardus qui nomine Sextus,
Stella oriens: & Elisa Virago Deo data terris,
Ceu Phœnissa olim Dido Regina uirorum,
It comes uni animo Christo sociata marito.

Multi alij Verbo pedites, pietateq; clari
Christi ambire latus. Verum sanctissima Musæ
Lumina, sunt pauca hæc uestro cantanda cothurno:
Dicere me Natura uetat, Natura, uolente
Qua didici roseo distinguere labra pudore
Ille quis est capiti Christo qui totus adhæret,
Quem pietas, quem tota animi suauissima uirtus
Inter Christiadum niueos commendat olores?
Ille Valentinus nostri pater ille Poëtæ
Vinitor ille, Dei quo sacros uinea fructus
Cœlestes, Domino sæcundi palmitis uuas
Protulit, & profert; nec desinet aurea donec
Præmia, sideream ferat hic post fata coronam.
Splendidior niueis mens illi est inclyta cygnis,
Mens afflata Deo: tam nobis lucidus, & tam
Candidus angelicum uix inter cognitus agmen:
Cui Musæ laudum præconia digna feremus,
Hac nostra terris uiridante superstite lauro.

Talis erat Christi tantusq; exercitus. At quæ
Armorum series, quæ uis, quæ gloria formæ?
Arma Dei, non arma hominum, quæ spiritus alto
Sanctus dona suis præstantia misit Olympo.
Succincti gladijs omnes fulgentibus almi

Seclo

VICTORIAE

Secla renascentis tandem post plurima Verbi.
 Pro uallo & scuto generoso in pectore sanctam
 Ferre fidem, multi secum thoraca perennis
 Iustitiae, galeasq; auro remicante salutis.
 Proq; hastis calamos, pro telis atq; pharetris;
 Scripturae canones, & dia uolumina sanctae
 Nonnulli gestare ausi, nec Regibus, & nec
 Vnquam Tartareis sunt uisi cedere turmis.
 Sed tamen his multi simulantes cordis amorem,
 Corde uiri falso iuncti, certamine qui iam
 Deficerent feruente à tergo, quo mala Christi
 Turbaret iam uictrices confusio turmas.
 Arma utrinq; micant, numeroso milite campi
 Tecti, & cuncta rigent hostilia pectora ferro;
 Ferro animae, ferro mentes, & uiscera turgent:

PRAELIUM.

TV M satus Elysijs Rex & dux impius aruis,
 Alea iam nostri tentanda est ultima regni,
 Nunc opus est uirtute uiri, uictoria praesto est
 Fortibus, ante oculos iam uobis ponite, quanto
 Praemia uictores quae & quanta sequantur honore;
 Inquit: & hinc modicum cunctatus pectore signum
 Dat pugnae. Subito miscentur cuncta tumultu,
 Horrisono armorum strepitu, & clangore tubarum:
 Ira ardente ruunt, penetratoq; aggere ualli,
Irrumpunt

LIBER IIII.

Irrumpunt hostes agitata mole uirorum:
Tela uolant oculis totum eripientia cœlum
Terra tremit: ferreis permistaq; fulmina nimbis
Christiadam penetrant glomerato turbine turmas:
Haud tanto quondam certatum ardore, nec ira,
Romano ut rubuit Trasymenia sanguine lymphas,
Cum tremebunda soli sentiret uiscera nullus.

Concurrunt acies iteratis cœdibus omnes:

Virq; uirum, gladius gladium premit, atq; pedem pes:
Instant ui ualida, depugnant acriter: hostes
Cœlicolæ excipiunt animo uirtuteq; prompta.
Primus ibi ante omnes furit ore Tecelius, omnes
Blasphemo ore uias, fœdoq; excelsa boatu
Sidera complet: at huic Lutherus ut obuiam amœna
Processit galea insignis fulgenteq; crista,
Putidum in os strictum capulo tenus abdidit ensen.
Faucibus ille minas glomerat, sed uulnere lingua
Tarda hæret uerbis, multoq; in sanguine lallat.

Eccius hinc audax, Prieriâs, & Hogostratus acer,
Unus ab insidijs candenti egressus in ira,
Ipseq; Rex Stygius Phlegetontis facie Sophistis,
Dæmonū & horribili aspectu, et spisso agmine, magnum
Lutherum ante alios inuadunt: queis sua primum
Mox quoque Romanus coniungit fulmina Cæsar.
Maiori ille parum ui cedit. At impiger ausu,
Dux Saxo, Federica Deo gratissima proles,
A Christo missus, mediasq; audacter adortus

In filiè

V I C T O R I A E

Insilit in turmas, reprimat, ferroq; coërcet,
 Disijcit hinc atq; hinc hostes. Tum protinus acer
 Lutherus, multiq; uirum pietate micantes
 Conuulsam reparant aciem, & noua praelia tentant.

Hoc opere est uirtus patefacta Melanchtonis ingens:
 Emicat hincq; uiri mentis praestantia tanti
 Hic quacunq; audax irrumpere nititur hostis,
 Sustinet insultus, omnes reprimatq; procellas.
 At Carolo stadios si tres uel quinq; fuisset
 Nacta acies Christi, mala seditio undiq; nostras
 Corripuisset, & horribilis confusio turmas.
 Cuncta uirum seruent hic pectora Marte cruento:
 Vtrinq; auditi gemitus, fremitusq; minaeq;
 Pectora multa ferunt, & terga auersa uirorum
 Tela infixas: habitat multis in pectore cuspis
 Lethifer. Irrumpens hic Saxo Georgius ira
 Dux animo delirus, atrox Christi hostis & osor,
 Te meus ensis, ait, meate, Luthere, superbum
 Dexteram ad Elysios ingrata morte penates
 Nunc compellat: erunt sedenim solatia mortis
 A tanto cecidisse uiro. Mox irrito & agro
 Ictu imbelle miser ferrum in contraria stringit
 Pectora. Si uis tanta uiro quanta ira fuisset,
 Iisset in occultos animae tibi mucro recessus
 Praeco Dei, tibi uita leues e uulnere in auras
 Heu tristi, inq; domos caeli penetrasset apertas.
 Contra hunc insurgens haud uano protinus ausu

Lutherus,

LIBER IIII.

Lutherus, ualidam resoni instar turbinis hastam
Torquet: abit lethale uolans in uulnus, & ore
Hæret in aduerso. Sed & ense Prierias huius
Mox cadit: ah stolidum cerebrum ille, interq; cruorem
Multam animam uomit, & rosea malè saucius herba
Calcitrat. Arma omnes, uno ore arma arma loquuntur.

Zuuinglius intrepidus medijs in millibus ardet,
Nunc hos, nunc illos ferit, enseq; sternit. At uno
Ab latere, insidijs Faber & Murnerius astu
Egressi occulto, uallum transcendere, & omni
Nituntur nostras à tergo robore turmas
Aggredi. At hos animo mox præsentissima uirtus
Oecolampadij repulit: qui protinus acri
Elapsi per multa fuga se compita condunt
Indecores, stupefacti animo, & sub corde frementes,

Hic quoq; (tanta uirum famæq; hæc sola cupido,
Gloriæ & incessit sitis hæc malesuada perennis)
Rex Henricus opum diues, celeberrimus oris
Angligenum, Regum fastu clarissimus alto,
Telum enorme rotat: Si te nemo hæctenus unum
Strauit, ait, Luthere, quid hic iam uiribus unus
Possit, & experiere quibus modò polleat armis:
I morere, Elysijs habitabis gratior umbris.
E' tumido ibat adhuc extremum gutture uerbum,
Ecce uolat ferrum, medio sed inutile cursu
Iam languens nequicquam extremo umbone pependit.
Territus hoc nihil ingentem Lutherus in enses

H Surgit,

V I C T O R I A E

Surgit, & o Heinricæ, inquit, tua spicula letho
 Quere alium quem dent, tua quem mala terreat ira
 Nostra sit hæc uirtus hodie tibi nota uicissim
 Sic fatus crebris adeò regalia pulsat
 Tempora, sicq; aures repetitis ictibus ambas
 Tundit, ut ille amens tremula uertigine totus
 Vix fugere, ingrata possëtq; excedere pugna.

Verùm auidus pugnae, duxq; ardens Eccius ira,
 Qua spissas acies, & tota prælia mole,
 Maximè & irato quæ Marte ardere tumultu
 Conspicit, hæc ruit, & laxis hæc fertur habenis.
 Scilicet hunc alacrem reddunt in prælia pingues
 Præbendæ, & concepta animo bona præmia: quæ mox
 Hunc quoq; in Helueticas ardente tulère phalanges
 Marte: Duces ipsos hasta petit, atq; uirorum
 Congreditur turmis, spumantiq; ore minarum.
 Euomit in Christi horribilem sancta agmina molem.
 Haud impunè diu tamen hic insultat. In illum
 Impiger excelsò ut torsit sua tela lacerto
 Hallerus dux, Vrsigera qui nuper ab urbe
 Venerat, in frontem mox lato uulnere adegit
 Ad cerebri usq; specus ferrum. Fugit ille pudore
 Eccius, & magno confusus mente dolore.

Missa per Helueticas toties grassata cohortes
 Profligata ruit, cedit, fugit impia tandem.
 Eccius hoc dolet, hoc fugitiuus Mulciber: ille
 (Quale ferè rana iam multa æstate profunda

Exercent

LIBER IIII.

Exercent per stagna melos, strepituq; coaxant
Inculto) nunc huc uolitans, nunc garrulus illac
Perstrepit: at citò crus telo traiectus, acerbum
Vulnere habet ferrum, ferroq; alit ille dolorem:
Claudicat, & magnæ serpente per ilia plagæ
Vi, pectus subit omne dolor. Queror hoc queror, inquit,
Ab serò nimis, hoc, hæc me in certamina raptum
Unquam descendisse queror. Sic plorat obortis
Mox lachrymis, funditq; incassum è lumine fletus.

Ab sed uictrices nostras hac parte phalanges
Corripuit gemitu ingenti dolor, & pavor ingens:
Zuuinglius ante oculos Christi testatus amorem,
Pro patria, pro Gente Dei, pro Relligione
Strenuus occumbit medijs in millibus Heros:
Inq; sinum moriens animæ pia flamma uiuæ
Deponit Christi, legit altaq; sidera cœli.
Ira omnes flagrante gemunt, interq; dolorem
Acrius inuecti fundunt tota agmina nostri.
Oecolampadius sed, quem dolor acrior urfit,
Ipse quoq; æthereas socium comitatur ad aulas.

Cæsaris hinc subito Farnesius excitat arma:
Petrus idem Maluenda facit, uelut æquora tristes
Exagitant, imoq; cient de gurgite uenti.
Principibus multum fecit res illa negotiū.
Cuncta ira & ferro rapidis commistaq; flammis.
Pars capti, fugientem animam pars morte relinquunt.
Dux Saxo Federicus, & hic Landgravius Heros

H a Abrepti

V I C T O R I A E

Abrepti insontes fato, & iuga ferre coacti
 Pessima, Fortunæ proh quæ ludibria, & iras
 Hostibus in medijs durisq; opprobria uinclis
 Sensere, insultusq; graues, odiumq; minasq;!

Innumerae ast animæ Gallorum sidera tranant,
 Nectaris ad latices, & uitæ æterna beatæ
 Gaudia. Rex horum Christi insensissimus hostis,
 Millia multa igni, laqueo, ferroq; trucidat
 Crudeli laniena, ita mox ut sanguine fontes
 Hinc atq; hinc sancto fluerent, tegerentq; patentes
 Christiadum heu latè pallentia funera campos.
 Et cadit heu duro formosa Bolenia fato,
 Vt Mariamne olim crudeli occisa marito.

INTERIM ut hæc fiunt, nonnulli à Cæsare missi
 Falsi Relligione uiri falsa comitati,
 Qui specie pacis sanctæ, pietateq; ficta
 Omnia Christiadum turbarent agmina: sed mox
 Præco Dei his Aquila occurrit, fraudemq; notando
 Ceu pestes docuit fugiendos Interimistas.
 Hos simul inuectus Christi Bucerus amore
 Explodit, penitusq; horum commercia sanctis
 Pestifera affirmat, non esse ferenda. Sed inter
 Hæc multi à Christo iam descuiere uirorum.

Cæsar, & hic subito rasorum turba gigantum
 Contra infanda Dei torquent & tetra fideles
 Spicula, quæ quondam Vuormacia coxerat ira
 Heu Decreta referta fera. Mox pectora languent

Tot,

LIBER IIII.

Tot, quot tela uolant præterq; & lumen & aures,
Præter utrumq; latus: timor undiq; & undiq; Erinnyes
Pallentesq; uirum subeunt mox pectora curæ.

Agricola Islebi, atq; ô tu male sane Sidoni, &
Tu Phlugi, proh funestæ adeò uos organa culpæ
Christi experta phalanx sensit. Non ne impia Mundè
Gloria, non ne Deus uester, mala bestia, uenter,
Non ne Dei exosus recidiuaq; lumina Daemon
Vos studio infando exegit, quò castra Tonantis
Proditæ uestra opera iuga denuò acerba subirent?

Haud tulit hæc animo diuinus Musculus, & mox
Restitit: utq; parum profecit uiribus, & cum
Agmina multa metu languescere Cæsaris, alta
Mente animaduertit, fugit impia pectora, cœtum &
Interimistarum Christi deuicit amore.

Magna Bipontini enituit constantia laude
Principis æterna, tanto hoc & gloria casu:
Se Christo adiungens uitat mala scandala, & umbras
Corda hominum secum mox quæ infinita trahebant.
Terruit haud animos huius mala Cæsaris ira,
Cum parère Deo potius, quàm ferre nefandam
Sic legem, hoc uellet uel conuiuere furore.

At multum offecit nostris periura nefandæ
Factio Gropperi, Christi simulantis amorem,
Mente tenus uerum nostri infensissimi honoris
Hostis: ab hoc, Hermanne Dei Vuidensis alumne,
Proditus ab uirtute tua quæ indigna tulisti

H 3

Præ-

VICTORIAE

Præmia! Cesareas iras, tristemq; repulsam.
 Germanis Missa insultat, rediuiua furorēs
 Tot serit, excelso quot fulgent sidera cœlo,
 Vere nouo quot habent uiridantia compita flores,
 Antiquas reparat tenebras. Germanica pubes
 Hoc casu pallet tanto. Confecta tot antè
 Vulneribus, sanata agit altos Missa triumphos.
 Non impunè diu tamen hoc: diuina tumultu
 Deseruit nostras minimè hoc clementia turmas,
 Signa erecta uolant, clypei, galeæq; corusco
 Aere micant. Martyr diuino cuspide turmas
 Fertur in Angligenas, Verboq; potente Sophistis
 Deuictis, suadet cunctis, uincendoq; cunctis
 Persuadet, Christi promptè ut uexilla sequantur
 Angligenæ. Sedenim iuuenum fortissimus, ille
 Rex Eduardus honore uirum clarissimus, alto
 Elysium deturbat equo, resonante, tyrannum
 Verbere: purpurea casu resupinus in herba
 Voluitur, hoc tanto & casu crus fractus istrunq;
 Dux Erebi: quem mox Reginaldus Polus, & ira
 Iezabel ingenti Maria ut Regina decenter
 Erectum affixere iterum trepidante caballo
 Cura, animum uerbis ægrum solantur amicis.
 Hoc multi illustres tanto cecidere tumultu
 Insignesq; uiri, quorum sunt nomina cœlo
 Scripta. Sed hos inter Crammeri immensa refulsit
 In candente rogo æterna constantia laude.

NOB

LIBER VIII.

Non illum flexere iræ, non seua minarum
Tempestas: non hunc Christo auertere uolantes
Canitiem circum, populantes tempora flammæ.
Et ruit hic insons Virgo Suffolcia ferro:
Ah niueum rubeo pectusq; aspersa cruore
Christo animam reddit, uita fugiente, beatam.

Euentu interea ancipiti pugnatur ubiq;
Cum subito ante oculos summi Patris incrementum
Religio emicuit uultu clarissima, cuius
Ferre ualens minimè aspectum falsissima, multum
Obtestante illam Stygio duce, saucia passum
Ut retulit, fugit: & proprium delata per agmen,
Dissona tota acies premit & disturbat amicas.
Mox iterum coeunt. Solertia summa periculis
Exerit in summis uires. Caluimus honore
Eloquioq; potens saucto, fortissimus armis,
Hostiles non raro animos discrimine summo
Confundit: fortiq; hominum pietate suorum
Inclytus Oenotrias turmas, Gallosq; feroces
Frangit, & in Christi cogit concedere partes,
Aut turpi dare terga fuga. Sed & inclytus arte
Bellica, agit lætos, monstrato errore, triumphos
Hostibus, ille sui Tigurina ex urbe profectus
Bullingerus amore Dei. Hic athleta Tonantis
Multa suo adduxit fortissimus agmina Christo.

Nostra sed hæc cuius uirtus? ô te sine Christe,
Te sine nil uis nostra foret: nostra omnis ab uno

VICTORIAE

Te uirtus dependet, honos noster tuus esto.
Defectus supplet Christus, cunctosq; potenter
Erigit hortando, consolandoq; fideles.

Vualdenses sedenim crudele Mimerius ira
Insequitur monstrum, toto & pallentia campo
Funera conglomerat, ferroq; absunit & igni.
Alta petunt morientum insontes sidera uoces:
Abreptaq; suis grauidæ medio igne maritis
Eijciunt animæ matres pia flamina charæ.

Idolum Galli secum (Dea creditur esse
Hoc Geneuesa, genas, oculosq;, manusq;, pedesq;
Idaliæ similis, sacra anchora desperatis
Scilicet in rebus, spesq; una & summa salutis)
Attulerant animi audentes in imaginis almæ
Aspectu, sibi cuncta Deæ felicia nutu
Promittunt, facilesq; euicto hoc hoste triumphos.
Ridiculi idolo sedenim, fusiq; Tonantis
Religione Dei, certant per compita turpi
Cuncta fuga, uictiq; immania quæq; minantur.
Prelium ubiq; uiget, reparatur ubiq; uirorum
Certamen: tantis renitetq; exercita pugnis
Alma fides: adamante magis spes firma resultat
Pectoribus, Christo cœlumq; infixæ tuetur.

Hæc inter subito nostras peruenit ad aures
A' duce Christiadum summo uox missa: paratas
Hastas ferte uiri calamos, iugul. mq; furentis
Hostis, ait, petite his, & tela immittite, tela

Stringite

LIBER IIII.

Stringite in aduersos. Resono alma uolumina sanctæ
Scripturæ, & calami strepitu impelluntur in hostem.
Difficile est dictu quæ mox confusio, quæ mox
Orta sit Elysijs peditum in trepidatio turmis.
Concidit ipse animo totus, pallentia foedo
Dux Erebi ora metu obfuscatur: regnoq; sibiq;
Corde timens trepido lassos uix sustinet artus.
Hunc ira ardentem, tonitruq; horrenda parantem
Fulmina terribili, certo iacta eminus ictu
Lutheri hasta ferit: fronte irreuocabile ferrum
Hæret, & in foedo dominatur uulnere cuspis.

Nunc redeunt fugitiui, animos in prælia fortes
Conuersi, cessisse dolent se, pectora summis
Obijciunt iterum rediuiuo ardore periclis.
Armorum nullum cessat genus: ecce potenti
Transacto in cerebrum ferro icta Sophistica totam
Totam animam rigidis exhalat frigore membris.
Proxima Missa ruit, capite & truncata stupendam
Hæc intemperiem uomit imo è pectore, fumo
In piceo excernens noctem ac Acherontidos umbras.
At multi hoc in agone cadunt, pia pectora passim
Multa ruunt fuso mortis sub iura cruore.
Nec tua te pietas, nec te doctrina Diasi
Textit, ut ira tui truculentaq; dextra Caini
Te dedit immeritum letho, cum fracta securim
Frons cerebri teneras trostem excepisset in ædes.
Sed tantæ pugnae solùm spectator Erasmus

VICTORIAE

Pensitat ut belli causas, uoluitq; reuoluitq;
 Offensamq; ducis Romani incurrere nolens
 Nunc huic, nunc illi parti fauet. E' longinquo
 Sollicitè euentum pugnae speculatus, ut hostes
 iam cessisse loco nostros, campoq; potiri
 Latè Christiadam turmas conspexit, & ipse
 Ira incensus abit. Sed & hìc Osiander amore
 Dogma nouum spargit proprii correptus honoris:
 Sic se quaesuit quò Christum amitteret, & ne
 Viueret hic Christo, optauit mox uiuere Mundo.
 Et miser ut timuit uitæ hoc in agone Spiera,
 Iacturam & fugiens Mundi, cœlestia temnit
 Dona, negatq; fidem: sed pœna horrenda neganti
 Institit, ante oculos posita huic damnatio, & ira,
 Ira Dei: mœrore animi hinc desperat acerbo.
 Hinc magis atq; magis Christi in quàm plurima partes
 Agmina concedunt. Et uictus luce potentis
 Vergerius Verbi, summo in certamine Christo
 Dat sine fraude manus. Iam iam uictoria pleno
 It uelo, & tuto fixa est nostra anchora portu.
 Anglorum Regina illustris Elisa Virago,
 Ceu rosa pungentes inter pulcherrima spinas,
 Aeterno exaltata caput diademate dignum,
 (Cuius ego angelici uidi per amabile uultus
 Lumen, & æthereos flammæ remicantis ocellos)
 Pro Christo audacter pugnat, stratagemate sancto,
 Et miro, deiecit equo iam denuò ab alto

Consterna

LIBER IIII.

Consternatum animo Regem, & malè cruribus ægrum
Elysiū: duræ mox ultima spicula mortis
Pectore qui sensit: capulo nam Christus adactum
Omne tenus ferrum in iugulum & sub uiscera condit.

Aegram animam ille trahens trahitur Nigra turba
Nonnulliq; Erebi præsentès dæmones illum (Sophistæ
Eripiunt oculis: sed enim Contraria Iesu
Progenies, & Luciferi patris ultimus ordo
Fermè hunc exanimem recreat, fouet, erigit, instat
Vt se proripiat pugna. Calcariæ uibrant
Nunc hostes. Fuga fit, contendunt alite cursu
Agmina Romulei campis disiecta tyranni.
It cœlo puluis, clamorq; pauorq; uirorum.
Hostibus à tergo ferrum uictoris inhaeret.
Et colles syluæq; gemunt, ululanteq; questu
Ingeminant tremulos Furia per compita fletus
Omnia. Pars gemitu incusant hominesq; Deosq;
Pars sub opaca ruunt nocte horrida tecta ferarum.
Præcipiti nonnulla fuga transgressa niuales
Pars alpes, cursu uenit lassata Tridentum,
Qui mox Concilio furibunda mente coacto,
Præside spirituum coruorum in imagine turma,
Sæpe fimo in proprio audaces, latratibus omnes
Sanguineis complent tractus aditusq; uiarum.

His Romana tonant horrendo mœnia planctus
Auditis. Cecidisse sibi tot regna queruntur,
Totq; facultates rerum. Tarpeia fato

Regia

VICTORIAE

Regia terribili quatitur ruitura, Timore
Hostis at ille Dei supremo plenus, & ira
Infrendens animo, patris infera regna tenentis
Nomina saepe uocat crudelia, & ore profundum
Conspuit impuro, & blasphemio gutture caelum,
Nequicquam uibrans suo adunco spicula ferro.

Passim idola ruunt, purgantur templaq; passim,
Atq; superstitio Romanae hinc impia facis
Euanescit, ut excelsa ueniente quadriga
Sole polo rutila, nebulae, & mox caelitus umbrae
Disparent pulsae: nunc nunc lux aurea Mundo
Haec credit, aeterni & iubaris clarissima pandit
Sol nunc iustitiae Christus sua lumina terris.

Haec est Christi adum tota notissima Mundo,
Haec duce caelicole est Christo uictoria Gentis,
Sancta fides sane aeterno qua uicit honore:
Qua Gentes Christi uariae uexilla secuta,
Carceribus Satanae ruptis, Orciq; tenebris
Erepta, aethereis fidei trans lucida pennis
Sidera, coelestes didicere inquirere sedes.

TRIUMPHVS.

LAUS tibi Christe Deus, tibi gloria maxime, Chri
Optime, Rex Regum summorum summe, salutis (ste
Fons indeficiens, uitae scaturigo beata,
Nos tua turba sumus, nos te per mille secuti

Humanæ

LIBER IIII.

Humanæ uitæ casus, per saxa, per ignes.

Tot seclis duce te uarias, tot monstra, Chimæras,

Totq; renascentes hydras, taurosq; feroces,

Et Cacum igniuomum, triplicesq; in Tybridis oris

Geryones, varios & uasta mole gigantes,

Vnâ cum fœda Cercopum fece malorum,

Vicimus, expulimus, penitusq; immersimus Orco.

Cerberus, & Python, & Sus Erymanthius, ille

Hirsuta triplicem qui præfert fronte coronam,

Subnectitq; sacris heteroclitâ tempora uittis:

Vnocolus Cyclops, Siculis qui mentibus olim

Lanigeras paut pecudes, nunc merce Latinas

Et uaria suscepit oues multaq; regendas,

Confossi hi iaculis omnes, fulgenteq; ferro

Longa renascentis tandem post secula Verbi,

Viscera diis inuisa, animamq; in agone profundunt,

Viscera nunc equidem magnum direpta per orbem.

Detectæ fraudes, fallendi insignior astus,

Et scelerum pelagus, foetens Camarinaq; & ingens

Naufragium Mundi, terræ communis Erinnyis

Iam patet, & claro cunctis sub Sole resulget.

Plaudite felices animi, letareq; turba

Consors militiæ cœlestis, amica Deorum.

O' socij fortes, inuictaq; pectora fato,

Sæpe petita malis, ast nunquam euersa ruentis

Inter tam uarios æui Mundiq; furores:

Leta quies, & amœna dies, Aurora fugatis

Dia

V I C T O R I A E

Dia redit tenebris, Solem lucemq; reducit.
Lux est illa Dei Christi, lux Gentium, & ingens
Lux animæ, lux Spirituum, faxq; in clyta mentis.
Luce hac adiuti Stygias euasimus umbras,
Horrendosq; specus Orci: non ditis opaco
Detinuit sceptrum claustro, non ulla Dearum
Amplius atra cohors tumido nos contudit ore.

Et dira Harpyæ, foedissima turba, malorum
Spirituum soboles, genus exitiale, ruentis
Et pestes Mundi, magni Pythonis alumne,
Ad lucem hanc caeca presse caligine multo
Cæcutiére magis: non raro in lumine pennas
Exusta aufugiunt strepitu, primasq; reuisunt
Indignatae umbras, subq; infima Tartara lapsæ.

Ast hinc egressi canibus lacerata cruentis
Vix dum, conspiciamus foedo fluitantia tabo
Corpora multorum: pars longè maxima flammis
Ardet, & alma rogis uelut hostia aduritur altis.
Pars quocunq; modo intereunt, aut fune, uel ense,
Aut unda exhalant animam: pars undiq; clausi
Obscuro miseram deplorant carcere uitam.

Verum hæc intuiti propius spectacula nullis
Visa prius seclis, non ulla prodita fama,
(O' dictu infandum penitus, nulloq; piandum
Scæuitiæ Phlegetonte genus: non eluet illud
Cocytus, non alta palus Stygis aut Acherontis)
Hos nostros homines insignia nostra secutos

Vidimus

L I B E R I I I I .

Vidimus heu nimium immeritas expendere pœnas,
Infontesq; animas cruciatu efflare cruento.
Pectoribus dolor increuit, mediisq; resedit
Ira gemens animo : Nos te scœdisime Cyclops,
Qui Latias deglubis oves, Christi ense peremptum
Iam tandem uita & fama spoliabimus omni.
Vicisti sanctos? minimè hoc. Victoria Christus
His est, his sanguis sacrata in morte profusus
Aeternum de te statuet, scelerate, triumphum.

Scilicet impunè hoc quicquid libet egeris, aut quod
Mens exosa Deum, Stygio mens turgida fastu
Suggerit? ut quoties dignas Ioue concipis iras,
Ebullitq; sacer sacrosancto in pectore zelus,
In scelus horrendum Mundus coniuret, adoret,
Approbet, extollat, supplex ueneretur, honoret?
Interea occiderit, toties fumauerit altis
In cinerum cumulis? acies tam sepe calenti
Fulmineas, fusoq; rigauerit arua cruore
Phoenix ille Dei, sata Patre columba Deorum
Vnica, sponsa sui Regis Regina mariti?
Hanc tantam cædem dilectæ coniugis unquam
Rex Regum, Deus ille Deum patietur inultam?

Vltima iam tandem sanè Mundo imminet ætas.
Aurea iam redeunt sanctis prædicta Prophetis
Tempora. Iam Natura suo sed & inclyta cursu
Fessa petit longo dudum sub pondere finem.
Vno mox rerum subsistent semina puncto.

Aduenit

V I C T O R I A E

Adueniet cœlo mox Iudex: unde soluta
 Compage immensa, cum totum exusserit orbem,
 Et mare, cœlorumq; antiqua palatia flammis,
 Mox noua progenies, Gens sanctorum aurea, summo
 Gens selecta Deo, Phœbi Gens clarior igni
 E' cinerum emerget, Phœnica imitata uolucrum,
 Puluere, ut Ambrosium delibet Nectar Olympo.
 Intacta hæc flammis, Mundiq; emota ruinis,
 Spiritibus par cœlicolis ubi protinus auras,
 Atq; nouum facili sulcauerit aëra nisu,
 Cœlestiq; ornata bono, perfusaq; Christi
 Lumine, ad æternos, pulcherrima regna, penates
 Se abripiet: luctu, & quâ uita experte laborum,
 Angelicos inter, radiantia flamina, cœtus,
 Inq; Dei æternos adytis captabit honores.

O' honor, ô requies, ô gloria qua nihil altis
 Aedibus, ante thronos, lucem Patris ante stupendam
 Clarius est uisu, nil magnificentius! ô te
 Felicem qui mente Deo tota insitus, umbra
 Corporea ad superas euaseris altius auras!
 Christi Sponsa Dei, fœcunda columba, propago
 Inclyta, Spirituum summo sata Patre, comantes
 Pexa comas, iucunda oculis, redimita corona
 Siderea, Phœbi radiantis adusta colore,
 Gaude animo, exulta, letos age corde triumphos,
 Iam tuus adueniet summo Rex sponsus Olympo,
 Omnipotens uictor, sublimi in nube, beatis

Stipatus

LIBER IIII.

Stipatus turmis: quo Iudice, totus ab ortu
Solis & occasu, Mundi furor occidet, ut te
Eripiat populis, ubi perfida turba paludem,
Turba exosa Deos, Stygiamq; accesserit umbram.
Bestia tum mala sulphureos rapietur in ignes,
Illa tuos Mundo fudit quæ sæua cruores:
Illa inquam quæ sanguineo temulenta liquore
Est Meretrix Romana tuo, sub Tartara uultus
Ante tuos ibit, cœlos penetrante profundos
Te sponsa, Christiq; altos adeunte penates.
Ast ubi te in thalamos insignes iaspide & auro,
Regalesq; domos, & in atria lucida Diuum
Duxerit, æterno sibi te sociabit amore.
Ah quæ deliciæ, quæ gaudia iam satis alto
Certa equidem, atq; infixæ animo, sed cognita uisu
Nequaquam terris! tibi quæ seruata supersunt,
Quæ te dona manent! Nunquam illa emensa tot amplis
Vita referta bonis, dum mentis sedibus hærent
Corporeæ feces, peccati in pectore sordes.
Decurso ast æuo, & iam fatis orbe peractis,
Puro oculo, mens pura, animæ mens inclyta uirtus,
Angelicos sortita habitus, indutaq; uultus,
Altius & propius speculabitur intus abyssum
Numinis immensam, penitusq; intelliget. Illi
Fons Deus & scaturigo boni, Sapientia, & omnis
Cognitio omnium erit rōum, tum uita, salusq;
Dulcedo, & requies, amor, & Deus, illaq; Christo.

I CHRI

CHRISTO DOMINŌ, PRO
FELICITER AD FINEM PER
ducto opere, gratiarum
actio.

CHRISTE tibi sit honor, tibi laus, tibi
gloria IESV
Optime, quod tanto tua me diuina labore
Adiuit bonitas, & in arcto hoc tramite
fessum
Me tua firmavit præstanti robore virtus:
Hinc mea tota tue dudum mens dedita laudi,
Hanc feret in cunctas augusto nomine Gen-
tes.



D E M I R A E T
V E R A V E R I A N T I -
C H R I S T I N A T I V I T A -

*te, Inauguratione, Ornamentis,
deq₃ eius Potestate, inq₃ has terras
primo aduentu, Libri*

quatuor:

V V O L F G A N G O

A M P E L A N D R O

Heluetio Bernate

Autore.



DE VERA VERI ANTICHRISTI
NATIVITATE, &c.
Liber primus.

TOTIVS SEQVENTIS OPERIS
ARGVMENTVM.

Primo libro Antichristi natiuitas, omnibus suis circumstantijs describitur. Secundo inauguratio, habitus, mysterium diadematis, & gladiatorum potestas. Tertio notatur potestas clauium, & qualem uel ipse Antichristus sibi, uel huius nequissimi assentatores illi potestatem affinixerint. Quarto libro Antichristus aureis sandalijs, chirothecis, tridente & annulo aureo decoratur. hunc quoq; pater Lucifer solito satellitio munus. Hinc rebus omnibus præparatis, tandem tota hæc colluuiës Orco egressa, Italiam petit, Romamq; urbem sedem sibi deligit.



*V*s A tuum Vatem nunquam aspernata, sororum
Calliopea nouem quæ præstantissima lucos

*Incolis Aemathios, quæ Pallados, atq; Dianæ,
Et Phœbi indefessa comes paulò altius umbras
Despicias humanas, altoq; insistas Olympo,
Diuis mixta, sacra pulcherrima stella choreæ,
Huc ades: in sterili miserè hîc collector harena*

Omnis

DE ANTICHRISTO.

Omnis egenus opis, sitio sicciſſimus undas
Castalias, hastamq; opto galeamq; Mineruæ.

Ridiculū aggredior facinus, sed & arduū & audax,
Quale ferè quondam sue cum Tirinthius Heros
Certaret, claua & Lerneam euerteret hydram:
Quale per Arcadicas penetrans exercuit umbras,
Vt Nemeæ horribilem concidit fuste Leonem.

Ense opus est, opus est armis, uirtuteq; Phœbus

Qua Pythona neci uictor dedit inclytus anguem:

Nam uideo quanto dudum sopita periclo

Monstra, hinc Tarpeia moueam catulosq; Leænæ.

Pugnandum serpente mihi est, tripliciq; Chimæra, hæc

Fronte hominis placidos meretricum indutaq; uultus,

Et tumidi lachrymas Crocodili effingere docta

Blanditur, sed parte feras, immania monstra

Posteriore, canes, ursos, rapidosq; leones,

Intentatq; apros, anagros, & tigrides acres.

Huc pia Pallas ades cum Gorgone, Persea quondam

Qua celerem armasti, tumido ne bellua ponto

Andromeda teneros laceraret inhospita uultus.

Calliopea animos ô pulchra recollige, & iræ

Audaces adigant trepidum in certamina pectus.

Cur mea Musa times, mea stella, mea inclyta? tutos

Ipsa Dei hoc inuicta manus certamine reddet.

Atq; hinc obscuris monstrum exturbare cauernis

Aggrediar: (timeo hinc oculis, ne protinus ungue

Inuolet audaci) quæue illud origine uitam

I 3

Duxerit,

DE ANTICHRISTO

Duxerit, & quo patre satum, qua matre, tremendos
 Post nixus, superas tandem fiet editum in auras,
 Ingenti exitio Mundi: quibus artibus, & queis
 Auspicijs, quo conatu, quo bestia uultu
 Prodicrit primum, latumq; inuaserit orbem,
 Dicam equidem, posthac nec me dixisse pigebit.
 Sic facili ast uersu, sic omnia carmine pandam,
 Ut tanta melius Gentes adamantina pestis
 Effugiant iuga, disrumpant mala uincula, temnant
 Fulmina, & abijciant onus hoc ceruicibus ingens:
 Fortè suis pereant huius ne signa ferentes
 Frontibus, eternasq; luant in sulphure poenas.
 Incipiam, rigidi procul hinc precor ite Catones.

F A M A refert, quondã, malefidos Dæmonas alma
 Infernis multum sobolem affectasse sub umbris;
 Quæ Stygios olim patria uirtute penates,
 Imperiumq; ingens regeret, defenderet, Orbis.
 Regnaq; subijceret Letheo plurima sceptro:
 Quæq; Deum contra cœlos effringere, & altas
 Oppugnare domos, quim Diuum poscere honores,
 Auderet sobolem Patris extirpare beatam
 Aeterni, aethereo miscereq; Tartara cœlo.

Haudquaquam immemores animos, quibus antè ma-
 Ponderibus pressi, cœlestiq; arce fugati (lorum
 In loca uenissent tenebris horrenda, gerebant.
 Ante oculos primum decus est, occurrit imago
 Gloriæ, in æthereâ quæ fulget amabilis æde.

Pœnitet

LIBER I.

Pœnitet irritasse Deos, sed mente repostum
Alta odium manet, & uindictæ antiqua cupido
Intus inextinctos exuscitat altius ignes.

Imprimis stimulos immensi æterna furoris
Aggrauat illa Dei Christi uictoria, qua Gens
Christiadum niueis fidei liberrima pennis,
Ad superas umbris crudelibus euolat aulas.

Hinc furor, hinc Stygias exercuit ira cohortes
Hæc adeo seclis memorabilis omnibus, ut se
Hac ultas cuperent sola ratione, sagaci
Consilio: fidei ne Gentes alma secuta
Lumina saluificæ, trans astra micantia uero
Tramite proriperent sese pietatis, & atris
Deficerent, queis mors & Erinnyis inambulatur umbris
Lurida, uictori statuunt opponere Christo
Progeniem, quæ Luciferi patris indole, matris
Ingenio insignis crudeli insurgeret ausu,
Christicolæ aduersus cœlestia mœnia plebis,
Et stolidas cœlo Gentes auerteret alto.

Oratum ueniunt omnes, ut Lucifer almæ
Suscipiat curam generandæ prolis. Amore
O princeps, aiunt, o nostro digne, parentis
Quem per multa loco uenerati secula summi,
Hunc almæ cupimus sobolis nunc esse parentem,
Olim quæ patrios patria uirtute penates
Et regat, & nostros hæc uindictet una dolores.
En ruat ut, cernis, nostri alta potentia regni,

DE ANTICHRISTO

Et nos umbrarum septis miserè undiq; clausi, &
Heu miseri ut uitam fato hoc ducamus inertem.
Prole opus est, nostro duce te genitore, parentem
Quæ referat, terris quæ nostros undiq; fines
Promoueat, ualidisq; Deum genus impetat ausis.

Lucifer hæc contra: Vos o fortissima fato
Pectora, uos comites cælo qui nuper ab alto
Deiecti mecum, mecum meruistis honores
Tartareos, non me uestri sanè hæcenus unquam
Pœnituit, par uestra sequi, quæ pectore dudum
Consilia incubuere meo, sed pressa pudore
Nunquam animo excessere, sed hæc sententia uestræ
Expectanda mihi meritò fuit unica mentis.
Sponsa opus est tantum: uestræ sapientiæ, & acris
Curæ erit, Elysij satis aptam inquirere campis.

Hac uoce exultant omnes spe prolis ouantes,
Et leuiore Euri subito per compita motu
Elysia effusi, quærunt quam principe tanto
Inueniant dignam, tantisq; amplexibus aptam.

Nulla oneri Elysij inuenta est fœmina campis
Apta satis tanto, non ulla puella, nec ipsæ
Concubitus optant Furie, non Belides urnis
Intentæ: effugiunt omnes uim fortè timentes.

Prodiit ast tandem tenebrarum immensa potestas,
Hac pactus mercede ampla, fulgenteq; dote
Lucifer, ingenti peragit sponsalia plausu.
Congaudent omnes: firmos hymenæus amores

Conciliat.

LIBER I.

Conciliat. Furiae exercent reliquiq; choreas
Manes. Pars uino indulgent, mensasq; frequentant;
Cantillant alij, dormitant undiq; multi,
Aut ludunt, interq; serunt bona pocula suaues
Ore sales lepido: pars turpi in fornice ducunt
In seram noctem uarijs sermonibus, horas:
Pars uina exhalant frustis ingentibus. Itur
In thalamos tandem: nupti foecunda capessunt
Gaudia, & exercent blandos spe prolis amores.

Ast res ardua erat, iam seclis penè duobus
Elapsis, demum (mirum quæ gaudia) uentre
Nescio quid gestat tenebrarum illa alta potestas:
Foetus erat dubio procul, & spes summa futuri
Heredis: turgent mammae, latera amplaq; turgent.
Hinc illam accendit pariendi mira cupido,
Huncq; nouæ inducit spes in noua gaudia prolis.

Ergo nouem minimè maturuit inclyta proles
Mensibus, haudquaquam foetus fuit unius anni:
Sed dum formatur, dum uires colligit in se,
Antè suo adiecit senio sex secula Mundus.
Tantæ molis erat cathedralem condere Gentem.

Quo gemitu, quibus & singultibus, heu mihi quãtio
Nixibus, & misero est certatum utrinq; tumultu!
Magnus abortiui metus hîc erat utiq; partus.
Hinc atq; hinc astant Manes, Furiaeq; frequenti
Seruitio fomenta parant: pars apta futuro
Multa puerperio expediunt, pars pharmaca miscent,

DE ANTICHRISTO

Pars urgens nixus: partum sua cuiq; iuuandi
Sedulitas, multo ingenio, ratione, labore.

Et mira est, res certa tamen, res pro dita fama
Historica, multa q; fide stabilita, profundis
E' specubus ponti uitulum accessisse marinum
Ingentem Phocam, quem limine clamor ab Orce
Ascendens, stupido e' somno, pepulitq; quiete
Ignaua. Comes huic pulcherrima Nercidarum
Irene Regina fuit: qua' Bosphorus altam
Constantini urbem resonantibus impetit undis,
Accedunt Furia, accersunt, plorant, implorant
Auxilium, dubijs ut opem ferat inclyta rebus.

Illas uias uarias pariendi edocta, cauernis
Undiq; in Elysijs enatas colligit herbas,
Tartarea has miscet paulum pice. postea longo
Tramite, in horrendam uenit comitata paludem,
Cum uitulo Phoca. Mirum queis acta deinceps
Res certaminibus, quibus artibus. Ast ubi frustra
Iam tentata essent quam plurima, turgidus ira
Intentat uim Phoca manu. Si non iuuat, inquit,
Ars, querenda uia est qua uis iuuat, aut pereundum.
Pondere erit tanto, experiar, diu coepta secudent.
Ast hinc effracta subito matrice, tot annis
Et tot gestatam seclis e' carcere prolem
Vnguibus eruit, abripit, abstrahit, excipit ulnis.
Visceribus cunctis dolet alma puerpera, longo
Aegra animo tractu ducens suspiria: at illam

Intam

LIBER I.

Intantum noua progenies pulcherrima forma
Demulſit, peperitq; adco ſpes pectore certas,
Gaudia ut ingenti ſua proderet alta cachinno.
Mox adhibet mammis tractu pendentibus atro,
Et nigro lactat matre lacte horrida Gnatum,
Lac tenebrae, lac ſunt umbrae, Stygiaeq; paludis
Vndiq; Tartareo caligo reſerta furore.
Fraus cibus eſt, cibus atq; doli, huic alimenta furores;
Errores illi picea ſcaturigine potus.
Solūm infans flagrante ſiti ſe ingurgitat umbris.

At dictu haud facile eſt tumidi quibus atria Ditis
Plauſibus, & quanto picei clamore penates,
Atq; ipſae immoto trepidarint cardine ualuae.
Omnis Iò Pæan ſonat angulus, omnia letè
In medijs ſiunt umbris. Mox ſercula menſis
Imponunt, promuntq; penu bellaria nigro,
Que ſuper Elyſios naſcuntur plurima campos,
Poma aſſata igni, & paſtillos ſulphure coctos,
Caſtaneas, ficuſq;, & multa elixa lebete
Tartareo, pyra, flagrantes Acherontis ad undas.
Nec deêrant diræ uolucres, quarum inclytus Orco
Eſt uſus, ſimiles coruis, ululisq;, upupisq;.

Hinc Furia exultant, & dulcia pocula Bacchi
Flumine Letheo miſcent, potuq; priores
Abſtergunt animo curas. Quin tempore fontes
Omnes tam leto uinclis poenisq; ſoluti,
Horrendis aliquot uacuas cruciatibus horas

Mirum

DE ANTICHRISTO

Mirum est quàm letis agitarint uocibus. Omnes
Grata quiete breui captabant gaudia, fati
Immemores, sortisq; obliti hac sorte prioris.

Sede una æternum Theseus o magne sedisses
Horrendis lugens umbris, ni pessima Minos
His horis, iudex paulum tibi fata leuasset.

Ah quoties quæsita tibi est Proserpina Ditis
Obscuri in thalamo! frustra ibas atq; redibas,
Hinc atq; hinc umbras latè scrutatus Auerni.

Et miser Ixion crebra uertigine totum
Cui cerebrum, pectusq; & mollia membra tremebant,
Iam multis tortus seclis dirum effugit axem,
Suppliciumq; rotæ. Tu multo tempore uentrem
Iam uacuum roseis explesti Tantale pomis.

At curam lapidis uoluendi Sysiphi omnem
Abijcit, optatæq; diu, gratæq; quieti
Fusus humo indulget. Quam multis ardua seclis
Meta uiro est quæsita, & tandem inuenta laboris!
Saltat ouans Tytius procus ille miserrimus acris
Iunonis, tandem uinclis paloq; solutus
Immitem tundit uolucrum, pœnasq; reposcit
Crudeles: fugit illa sequentem & multa minantem.

Ridiculum hoc esset, ni planè uera referrem,
Vera adeò, ut tantis Romana Ecclesia nugis
Ignem sancta suum purgantem exornet, alatq;
His paleis fermè extinctum. Maro maximus olim
Non'ne suis tanta hæc libris mysteria Vates,

Non'ne

LIBER I.

Non'ne Plato retulit Sophiæ diuinus alumnus?
Et quid? non'ne istis interfuit omnibus, umbris
Ille recens genitus magni crudelibus Orci?

Hæc inter Minos, Rhadamantus, & Aeacus alta
Conspicui cathedra, letos inhibere tumultus
Voce, minis, precibusq; student, sedareq; multo
Potu ortos strepitus, & Bacchæos ululatus.
Vix spatium, insani crebris clamoribus, horæ
Persuadent: quorum Minos iustissimus, & quem
Iustitiæ laus summa umbris præfecit Auernis,
Iudicet ut fontes, & iustis crimina poenis
Vindicet. Hic tota præsentem cohortem, disertè
Verba facit: Socij Manes, Furiæq; sorores
Ultrices, & uos Lemures, Laruæq; minaces,
Ne quæso in præsens uestra interrupta dolete
Gaudia: sic etenim res exigit ardua, pondus
Et causa impellit, uestras ut protinus aures
Hoc sermone grauem: uos mentem aduertite dictis.

Notum equidem uobis, quàm dira pericula nostro
Imperio, & nuper quod fatum impenderit atræ
Huic sedi: (heu referens hæc totus inhorreo) dictum
Dedecus infandum nostra hæc immensa potestas,
Naufragiumq; ingens sanè perpessa fuisset
Gloria, ni bene uortisset sors omnia nobis.
Nec sanè metus unus erat, non una periculi
Vis tanti, imperij tanta hæc infamia, abortus
Aut metuendus erat, uel longè durius illud,

Pondere

DE ANTICHRISTO

Pondere ne tanto tenebrarum illa alta potestas
Rupta hic æternum lugeret. Ne uel utrunq;
Non raro ueriti simul hic concurreret. Ah quid
Quæso boni miseris, aut quid superesset honoris!
Infames, superis contempti, atq; omnium egeni,
Omnibus inuisi sortem pateremur acerbam.
Et quid? proh miserè hac spoliatus Lucifer una
Sic prole, hærede & simul adiutore careret,
Qui patrijs olim regeret uirtutibus ingens
Hoc regnum, eueheret, necnon defenderet armis.

Ast magna huic uni debetur gratia Phocæ.
Ah qualem se animo, qualem sese ore ferebat!
Non monstro, sed dijs genitus, quàm pectore sorti
Rem tantam aggressus uicit, superauit, & omnes
Præsenti exitio eripuit! Sed & inde profectus
In patriam, egregiam laudem, & spolia ampla reduxit.

Quare agite ô socij, quæ sit sententia tandem
Accipite. Haud dubiè (modò mens fiet integra) uobis
Quanta salus hodie, quæ gaudia longa uidetis
Contigerint, quanto modò nunc uersetur honore,
Imperio & sceptro insignes, opibusq; animisq;
Aduenit tempus socij peramabile, multis
Exoptata dies seclis, illa inclyta nostro
Illuxit regno, quam sæpe optauimus, hora.
Nunc tandem nostris respondent omnia uotis.
Mens igitur nostra est: legem quædam figimus, illam
Esse ratam uolumus, quæ tempora in omnia duret.

Hanc

LIBER I.

Hanc nos seruemus leti, uenturaq; seruet
Posteritas: sacra illa dies erit omnibus, illa
Solenni festo nobis celebranda quotannis.
Induite hac hilares, acres deponite uultus.
Cura animos non ulla premat, quodcunq; uolupte est,
Hoc licet: exercete iocos, lususq; et amores.
Querite quod recreet, delectet, quod iuuet, imò
Impunè Idalios quacunq; acquirite ludos,
Strenuè & hesternum licet cructare falernum:
Tantum absit pietas, omnisq; modestia longè
Exulet. Este uiri, celebri sint omnia festo
Hoc licita: ingentes hodierna luce dolores,
Protinus & fati tristes euasimus umbras.
Hoc unum adijciam: Illicitos hac luce labores
Sacra, omnis generis uerum licita esse iubemus
Otia. Supplicijs fontes poenisq; soluti
Liberè eant, epulis intersint, gaudia tractent,
Exonerentq; acri paulum præcordia fato.
Hoc sedenim lex omnis habet, firmanda minaci
Est poena, ne sic contempta procacibus, omnem
Vim perdat, ne iustitiæ reddatur inepta
Seruanda. Quare uos exhorrescere poenam
Hanc uolumus: Quicunq; ratam latamq; procaci
Aut dicto, aut facto legem uiolauerit, ille
Sub Phlegetonteo flammis exuritor aestu.
Hæc sunt uos socij Tacuit quæ dicere, quæ uos
Scire operæpretium, seruareq; condecet: æqui

Et iustè

DE ANTICHRISTO

Et iussi seruanda fides, pœnaq; tuenda
Sunt leges. Verùm nobis quodcunq; uolupte est
Hoc iustum fiet: haud eadem est mens unaq; nobis
Quæ superis: statuunt illi, rursusq; rescindant,
Quasue uelint figant leges, iterumq; refigant.
Quid multis socij Manes, Furiaeq; paratos
Vos equidem uideo, & promptos insistere nostris
His monitis: nullum esse reor qui iure reclamet.
Este animo læti, primasq; reuiscite mensas:
Instaurate iocos, & dulcia pocula fauces
Fundite in arentes: Veneri seruite Lyeoq;
Exuti curis. Hinc dicere plura uolentem
Excipit applausus: conclamant undiq; ouantes:
Lex uigeat, duret lex omnibus inclyta seclis,
Et nos utamur nostriq; hoc iure nepotes.

It clamor cœlo: querule mugitibus umbræ
Horrendis superas inuadunt protinus auras.
Exhibita hinc populo spectacula, & aurea nummi
Signa uolant sparsa in uulgus: strepitu undiq; magno
Turba ruit, reboant leto nigra tecta tumultu.
Discumbunt aureis proceres hinc inde tapetis,
Ordine conspicuo. Sedet altior omnibus ostro
Regali princeps. Pincernæ uina coronant
Dispositi serie ad mensas hinc indeq; longa.
Fercula multa coqui geminant regalia pingues.
Et Mimi innumeri miris hinc gæfibus astant
Ridiculi. resonant concentu cornua claro

Musica.

LIBER II.

Musica. Sed reliquum discumbens gramine passim
Vulgus inuit laxis Bacchi noua gaudia habenis:
Nec mirum, Elysijs cum gaudia tanta cauernis
Non audita prius, uix sint sperata, nec ulla
Interitura die, dum lurida regna uigebunt
Daemonum, & umbrarum Styge uis immensa manebit.

DE NATI ANTICHRISTI
INAUGURATIONE, HABITU,
Corona, & de duobus Gladijs, eo-
rumque potestate: Liber
Secundus.



OSTERA Phoebeis terras inuecta
quadrigis
Lux oritur superis, atro carbone notan-
Lux inuisa Deo, toti exitiabilis orbi. (da,
Vix atris temulenta thoris, hinc inde per altos
Fusa specus, somni uix se stertentis habena
Euoluit Styge nata cohors: cerebella dolebant
Quippe his, hesterno pulchrè ut decocta falerno.
Pars uomitu stomachum exonerant: pars maxima ama-
Eluere attentant Letheo flumine fauces. (ras
Pars superinfundunt uino noua uina, furentis
Quod modò causa fuit, nunc est medicina doloris.
Est locus horrendus tenebris Acherusia iuxta

K Littora,

DE ANTICHRISTO

Littora, quæ latè sinuoso multa recessu
Regna colunt manes: uarijs habitataq; laruis
Atria in immensam prospectant intus abyssum.
Elysij campi longo illic compita tractu
Extendunt: ibiq; exangues sua munera passim
Vibræ obeunt, uarijs studijs: quas quisq; superstes
Curas mente tulit, uel quas exercuit artes,
Illas Elysium recolit demissus ad orbem.

His ingens campis manus, & grex confluit omnis
Spirituum, certaq; sedent statione locati
Dæmones, & Manes, Laruæ, Furiaq; minaces.
Lucifer hinc magna prodit comitante caterua,
Auctus prole pater, claroq; hærede superbus:
Vultu atrox, lætoq; nouas spes pectore uoluens,
Inflatus buccas, oculis flammantibus igni,
In medio cœtu sublimior omnibus alta
Constitit in cathedra. Mox alta silentia uerbis
Imperat, obiurgatq; manu minitante strepentes.

Certè, inquit, (socij) quæ nos infamia cœlo
Quo scitis fato pulsos exegerit, ante
Secula multa Deus cum nos detruderet axe
Sidereo immeritos, tantisq; inuolueret umbris.
Egregiè sed abhinc multis iniuria seclis
Vlta est exitio humano, celebriq; triumpho
Nostratis Gentis: quin testes auguror esse
Has animas, magno superis quæ nuper ab oris
Venerunt numero, sero sua fata dolore,

Et m-

LIBER II.

Et miseram obscuro deflentes carcere uitam.

Postea sed uario dominati Gentibus astu,
Illusisq; errore graui, tot secula & annos
Claruum sceptro insignes: illa edita donec
Progenies, immensa Dei Sapiencia, terras
Carne adiit, Mundiq; immensum morte piauit
Crimen, & eductos Orci de limine fontes
Restituit uitae, summoq; inuexit Olympo.

Heu mihi quo gemitu, aut lachrymarum fonte recem
Aut quo deplorem crudelia fata dolore! (sciam)
Incisis regni neruis nostra alta potestas
Concidit, ingentesq; trahens uis tota ruinas,
Naufragium passa est fermè irreparabile, ni sors
Spes animo rediuiua nouas peperisset: honori,
Et nostris malè sic collapsis undiq; rebus
Maturè occurrens, multò secus omnia nobis
Vortisset, primò quàm res casura uideri.

Nata mihi soboles hesternae luce, dolorum
Nixibus immensis, è dulci coniuge, quo me
Iudico felicem puero, summisq; propinquum
Sideribus. Quid enim? iam restaurata uigebit
Imperij uis magna mei. defensor & haeres
Hic erit, hic nostris ingentem finibus orbem
Adijciet: populis late dominabitur: ipsi
Inijciet frænum cælo, bellisq; laceffet
Mœnia summa Dei, sanctamq; audacibus urbem.

Iamq; adeò à primis (uelut aiunt) inclyta cunis

K 2

In puero

DE ANTICHRISTO

In puero uirtus & imago paterna refulget.
Quodq; fidem superat, nullisq; prioribus unquam
Auditum est seclis, à matris protinus aluo
Eruta, maturas uires, animosq; uiriles,
Et tenero occuluit uersutam in pectore uulpem,
Hæc mea progenies, ô tanto digna parente,
Digna q; quæ patrijs succedat honoribus, & quæ
Hoc solio sublimis Auerni regna gubernet.

Ergo huic obsequijs faciles estote, futuri
Huic comites terris omnes, socijq; laborum,
Militiæq; duces, Satrapæq; operumq; magistri:
Egregiam præstate operam, intertextite fraudes
Consilijs, blandum uerbis decus addite fictis:
Instruite ora dolis, tenerumq; impellite pectus
In quodcunq; immane nefas, in bella necesq;.

At nunquam uestræ uirtuti præmia deêrunt:
Illustres etenim titulos, & splendida iam iam
Defero, quæ placeant, uobis insignia: pingues
Siue sues, aut sint asini, uel fortè dracones,
Siue lupi tristes ouibus, rapidiq; leones:
Aut aquilas si qui malint, ululasq;, uel acres
Gryphes equis hostes, uel mures nocte uolantes.

Adde hoc: Vos opibus cunctos, & honoribus auctos
Præficiam populis, & toto Regibus orbe.
Exaturate animos spolijs, occasio longè est
Maxima nunc uobis bene res oblata gerendi.
Esti alacres. Hanc extemplò clamoribus omnes

Excipiunt

LIBER II.

Excipiunt letis uocem. Sua gaudia quisq;
Mirifico gestu, uarijs & nutibus ingens
Exprimit, & studium defert, operamq; fidemq;
Promissis cumulat magnis. Hic saepe coire
Agmina consilijs, omnemq; euoluere belli
Suscepti seriem, scrutari singula, rerum
Explorare uices, cauteq; expendere quae sint
Militiae uires, & qua uirtute, doloue
Res tentanda sit, & uictoria leta paranda.

Hæc studijs ubi sic uarijs utrinq; geruntur,
Hic iterum cunctis indicta silentia. Manes
Os frænant, pressoq; silent immensa tumultu
Atria, demissoq; specus clamore quiescunt.
Ecce hinc è thalamis, insignes iaspide & auro,
Regifico ornatae cultu, tumidoq; incessu
Aduentant Furie. Quin multa pedissequa retrò,
Inflatis fastu buccis dominabus inhæret.

Certè hæ linteolis rutilo splendentibus auro,
Et solerter acu pictis, Furie reuolutum
Infantem teneris ulnis sub tecta ferebant
Publica, consecrata epulis, populiq; dicata
Coetibus. Elysijs nulla aula celebrior oris
Hac est: egregijs etenim depicta figuris
Vndiq; & idolis uel fuis ære, uel auro
Effictis, & imaginibus nitet intus amœnis.

Huc ubi deuentum, croceo discumbitur ostro.
Certatim loca quisq; sibi dignissimus altis

DE ANTICHRISTO

Summa thoris, & quæ suspensa aulea ferebant
Arma uirum, uarioq; insignia picta colore,
Egregium decus, & uirtutis nomen auitæ,
Hoc sibi quisq; suam deposcit pariete sedem.

Lucifer hinc sacra redimitus tempora uitta,
Candida & indutus super atram ueste cucullam,
Profilit, & sacris se accingit ritibus: illum
Stant iuxta Furia, nonnulli & Dæmonum honore
Egregij proceres, quæis præstantissima quondam
Gloria, & insigni splendore potentia, necnon
Quæis cælo mens dia fuit, præclaraq; uirtus.
Procumbunt omnes, & poplite supplice herilem
Ritè colunt, & demisso reuerenter adorant
Progeniem uultu: dextra læuaq; frequentes
Mimi aderant Manes, qui gestu religioso,
Et tremulo ore preces scirent simulare profundas.

Res sanè risu dignissima, si tot ab ortu
Solis & occasu Gentes non unius astu,
Et turpi imperio periissent funditus, uni
Cum seruire Deo nollent, & fidere Christo.
Sic fuit in fatis, hoc ingens turbine Mundus
Concuti, & horrendis inuolui debuit umbris,
Ante poli finem, terræq; marisq; ruinam.

Ast ibi dum genibus demissis uota precesq;
Sollicitè proceres fundunt, iam quæq; sacrarum
Instrumenta suo rerum distincta tenore,
Et uasa ad normam stabant instructa decenter,

Mirificè

LIBER II.

Mirificè cælata, atq; ære micantia puro.
Candela ardentès iuxtà, lymphæq; fugando
Lustrales aptæ uel fulmine, uel quoq; fato.
Et salis atq; olei modicis infusa patellis
Portio quantulacunq; aderat: multæ sed ab Orci
Faucibus, Elysijsq; petitæ è collibus herbæ.

Hæc inter ualidis extabat aheneus ansis
Urceus, oblongis laterum compagibus, ore
Amplø, fusilibus subnixusq; antè columnis
Et retrò, hunc alacres famulæ, quæis una lauandi
Cura est obductos picea fuligine postes,
Opplerant tepidis letheo è flumine lymphis.

Lucifer hîc pater, & nouus alma ueste sacerdos,
Molliter, & risu (nec enim sua tanta repressit
Gaudia) perblando teneros Gnati excipit artus:
Et leuiter digitis attrectans mollia summis
Brachia, Lethea collo tenuis abdidit unda:
Terq; itidem mergit, pòst murmure multa precatus
Obscuro, uarijs & onustum deniq; uotis
Abluit, inq; sinum recipit de fonte calentem.

Inde salis modicum fructu commiscet oliuæ,
Et uulpinæ adipis partem, partemq; suillæ
Adijcit aruinæ, nec defuit aqua lupinæ
Portio. Contusas illas simul inijcit herbas,
Iusquiamum, & diræ comites aconita cicutæ,
Absinthii flores & terræ fellis amaros:
Sanguinis herba inerat, sed & incensaria, & una

DE ANTICHRISTO

Triste satis lolium, radice tenaxq; lupinus.
Quinetiam muscas ab Ibero Sole petitas
Cantharides, & equæ admiscet penetrabile uirus
Hippomanem, & multas alias, in amore potentem,
Res, quæ uirtutem præstant, & mente furores
Indomitos, urgentq; libidinis ausa nefandæ.

Verùm quò melius, partesq; tenacius in se
Hærerent, piceum Sodomorum Asphaltide uiscum.
Subdit, & ad facilem satis aptè temperat usum.
Hoc celebri unguento, quo non præstantius ullum
Extitit, aut unquam Stygijs concreuit in oris,
Et teneram frontem, chari & duo tempora Gnati,
Præcipuè tremulum studiosè pectus inungit.

Hic subito in cerebri cellas, cordisq; recessus,
Perq; animi, teneraq; per intima scrinia mentis,
Vnguenti peruasit, & omnes lenta subegit
Vis sensus. Animæ stupuerunt organa magnæ
E' propria semota uia. Furor intus & extrâ
Aestuat, & medio deflagrant osse medulla.

Ast olim uarium celebres si Prothea Vates
Mirati in multas se conuertisse figuras:
Cur non miremur Stygiam tot corpora prolem,
Quot uelit, & subito uarias assumere formas?
Vnguenti uis illa fuit, uis illa furorum,
Tanta male fraudis, uis tanta libidinis atræ.
Fit lupus, aut uulpes, aut duris horrida setis
Sus, lutulentus aper, uel turpi insanus amore.

Fit Satyrus

LIBER II.

*Vit Satyrus: sed & auriculis non raro Mideis
Hic tumet, huic uni est hæc tanta licentia formæ.*

*Quid mirum Sodomæ, uel si Babylonis, & omnes
Tam promptè inferni sceleratas calleat artes,
Edoctus patre, iam primis instructus ab annis
Impietate, Dei contemptu, fraude, dolisq;
Piscandi illecebris, cogendi in retia summas
Orbis & Urbis opes, immensosq; æris aceruos,
Et fastu elato, turpiq; libidine, sexum
Non extra tantum, sed enim commercia & usus,
Concubitusq; extra Veneris, tactus & amores
Assuetæ humanis amplexibus? Ah quid amores
Hos referam? non tuta soror, non filia tuta.*

*Macte noua uirtute puer, pater inquit, honori
Inuigila nostro, regnumq; tuere paternum.
Te nostræ uirtutis, & amula gloria tanti
Imperij, factis accingat fortibus: est quem
Exæques animo, & claris imitere parentem
Ausis. Te nostri proceres sine fine senatus
Heredem agnoscent, & amore & honore fouebunt.*

*His dictis Gnatum solio locat impiger alto
Lucifer: ast alij præstantem sindone pura
Interulam proceres teneris reuerenter adaptant
Lumbis: mox pectus tunica hinc hyacinthina munit:
Affinis cælo color huic, hoc sancta colore
Officia, & superum commercia olympica Diuum,
Et cœlestis honos, & gloria ritè notantur.*

K 5

Hinc

DE ANTICHRISTO

Hinc tunica longo superaddunt sirmate pallam
Conspicua lana, tenero quam palmito Seres
Decerpunt, pallam gemmis auroq; rigentem,
Iaspide, Sapphiroq;, atq; intertexta Smaragdo,
Quae longo post terga laciniis tramite ducit
Regifico luxu: quò magnificentius, & quò
Comptius ad superas inferno emergeret auras.

Hic etenim lux dia hominum, Sol inclytus alto
Abstergens caelo nubes, terrisq; tenebras:
Inter & aethereas uoluit fax maxima stellas,
Et dux, & requies, simul & cynosura uideri.

Scilicet hic Christi toto orbe uicarius, hic est
Quem Deus & Diui, quem Regum flamina Regem
Coelica, & immensi quem totius orbita Mundi,
Sideraq; agnoscunt terraeq; poli; potentem, &
Naturae, & magni quod temperat omnia fati.
Quid mirum si nec Deus hic, nec homo fiet, extra
Semina Naturae, patris extra Numina summi,
Hic quo nostra stupet mens inscrutabile quiddam est.

Vix risum teneo, turgent mea uiscera risu,
Peneq; distillant oculi sua gaudia salsis
Guttis: hem mea mens quo nescio tacta furore
(Audite o reliqui quibus hoc modo scire negatum est)
Extra se correpta abiit, penitusq; stupendum
Inuecta hoc numen, quid sit, quo semine, primùm
Deprendit, miro concreuerit: excipe magno,
Si sapis, haec adeo mysteria magna cachinno.

E' pu

LIBER II.

E' puro hoc asino, atq; impuro Dæmone Numen
Constat, & auriculas asininas Solis ad orbem
Occidui, & gelidam pro parte extendit ad Arcton;
At nunquam uerè est extendere Solis ad ortum
Ausum, atq; Eoas deducere ad Helladis oras.
Hac parte est asino conflatum Numen, at illa
Dæmone, dæmonicis quod apertè Numina technis,
Et sua Tartareo defendat ubiq; furore
Monstra, per ingentes Europæ sparsa recessus.
Hic ille est, inquam, nostros qui carne dolores
Languoresq; sua tulit, & uelut altus Olympo
Atlas, sic nostri premitur sub mole reatus.

At postquam pater excelsa deiectus ab arce
Lucifer in Stygiam penitus secessit abyssum;
Iamq; Erebi regno latè sceptroq; potitus,
Cum firmas sedes, soliumq; perenne secundo
Perspiceret cursu uentura etate futurum:
Et uelut in speculo, aut potius sub nube latentes
Iam rerum causas euolueret eminus, & se
Progenie tanta magnum fore, & inclyta Mundi
Hac duce desertura Deum quàm plurima patrem
Regna, intelligeret, uenturo letus honore
Dæmonas artifices compellit, ut arte coronam
Insignem quacunq; queant, prælustribus auro
Intextis rutilo gemmis, fabricentq; decenti
Ambitu, ut ad solitos esset tractibilis usus.

Leti instant omnes operi, incudemq; frequentant

ictibus

DE ANTICHRISTO

Ictibus Elysiam: sudor fluit omnibus, ore
Distillant guttæ multo sale. Deniq; sacrum
Circuitu exarant, & summo margine carmen:
Rex Regum, Dominus dominantium, & unius Orbis
Unus apex, hoc summa ferat diadema potestas.

Verum insunt tantæ mysteria magna coronæ:
Unica non etenim est, non Regum more recepto
Simplex, aſt aliam super una impoſta gradatim,
Sic triplex triplici exurgit diadema tenore.
Summus apex globus est, & magni spherica Mundi
Forma: hac maiestas, & magnificentia sceptri,
Et uirtus, & summa potentia ritè notantur.

Unica non etenim, non simplex portio regni est,
Non uno contenta loco, nec limine clausa
Angusto: triplex triplici moderatur habena
Imperium, lato cum Gentibus imperet orbe
Innumeris, Erebiq; profundos carcere Manes
Frænet, & æthereis latè dominetur in auris.
Nititur hæc tanta base & alma & amœna corona.

Hæc ratio est, hæc causa fuit, quòd fronte quid esset,
Quæq; sui uoluit monstrare sit inclyta regni
Gloria, quæ series, quæ uis: quantisq; per orbem
Ingentem, per & æthereos Erebiq; recessus
Imperitet rebus: summos qui turbine cœlos
Crudeli oppugnet, diuosq; laceſſere bello
Audeat, & sanctis immania munda minari,
Excidium, innumeras mortes, pœnasq; Gehennæ.

Cœruleam

LIBER II.

Coeruleam hinc mitram pater & redimicula *Gnati*
Cervici nitidæ imponit, quin bombice molles
Substernit tomices, ne fortè tenella, dolores
Pondere lasa cutis nimio, pateretur iniquos.
Mox tremulis manibus, senio confectus & annis,
Impigrè hoc tamen & iuuenili robore, sacram
Imperij decorat triplicis diademate frontem.
Astringit satis, & lustrali è fonte resperso,
Ad latera, & longas filo connectit ad aures:
Ne audaci impingens cursu, nèue inter eundum
Deijceret, miserè & contritum puluere, cœnoq;
Aspersum, quin sic regali exuta decore
Inferret superis stultè sua tempora regnis.

Ast armorum expers, ait, aut munitus abibis
Non ferro hinc fili dulcissime? quæ tua terris
Sors foret, ah uacua num te defendere dextra
Posses? Quare age te gladijs his dono duobus.

Hoc uno abscindes à sacro corpore Christi,
Christiadum excludes coetu, quoscunq; nefando
Ire tibi contra persenseris ore. Nec ipsis
Regibus aut populis parces: quin protinus omnes
Spe uitæ spolia, & cœlestibus exue donis.
Ne cures animas, teneras ne respice mentes
Ingenti pretio, Christiq; cruore redemptas.
Ne miserere ouium, forti ferro irrue, totos
Cæde greges, inflige animis crudelia fessis
Vulnera, quo timeant omnes tua fulmina Gentes.

Sancta

DE ANTICHRISTO

Sancta tua est toto terrarum Ecclesia gyro,
Missa tua est, tua Religio: tibi templa, tibi aræ
Subiectæ: sine nulla tuo sacra munia nutu
Venturo poterunt rectè celebrari æuo.

Vtere iure tuo Cœli dominator & Orbis.
Audebunt quicunq; tuis obsistere cœptis,
His interdices aris templisq; Deorum,
Exponesq; truci, plus quàm ciuilia, fato,
Bella mouens, cunctis exosi Gentibus orbe
Ut pereant uel aquis, uel ferro, aut fune, uel ignis.

Sic populos terrebis, & acres in tua Gentes
Vota trahes, cogesq; tuis ut legibus omnes
Subsint: magnorum non ulla potentia Regum
Te contra quicquam poterit: quin protinus alto
Deicies solio Reges, solioq; locabis
Quos modò cunq; uelis. Ast hoc euectus honore
Casarea uteris ueluti ceruice scabello:

Hos pedibus calcabis, & extorres, & egenos
Omnium, adiges nudis triduo frigore plantis,
Vestibuli ante fores, tua Numina supplice uultu
Orare, & misero ueniam deprecere fletu.

Auerte ô fili, minimè aspernanda corusco
Huic uni uis est: sed & hoc erit omnibus olim
Persuasum populis, afflari hunc cœlitus enses
Nescio cœlicolum quo sacro flamine Diuum.

Ne tamen ipse nihil propria uicute patrasse,
Néue sacro toties tantos mouisse tumultus

Prætextus

LIBER II.

Prætextu uideare, nec adiecisse tenellas
Ensi hastæq; manus, quare alter in horrida secundo
Hic te mutro trahet furibundi prælia Martis,
Prælia quæ Oenotrijs ardebunt plurima terris.
Auspicijs ductuq; tuo florentia sæpe
Ciuium erunt tumuli sua mœnia: sæpe rubenti
Et syluæ, & uirides sudabunt sanguine uepres.

Armorum strepitus inter, lituosq; sonantes,
Tormentorum inter reboantia tela, fragores,
Atq; uirum gemitus inter uolitabis, equorum
Quæ tremulo feriet latos sonitu ungula campos.
Nullius arma time, medijsq; in millibus Heros
Temne Deum sublimis equo, feritate Leones
Et tigres imitere truces, pallentia letho
Funera, mortaliq; efflantes chara dolore
Flamina, sint oculis illi spectacula sanctis
Lata tuis. Fusio sitis est sedanda cruore,
Visceribusq; cruenta fames: sic cæde triumphans,
Cæde tamen minimè satiatus ad atria Diui
Ibis, ut in cathedra iactes tua Numina, Petri.

Sic duplici ualidas terrebis nomine Gentes,
Ense sacro cathedræ, iuxtà Mundi ense prophano:
Illo equidem audacter Romana ecclesia, & almæ
Sedis Apostolicæ in populos diuina potestas,
Hoc Constantini donatio splendida magni, &
Terra tuenda Petri. Tunc sic inuicta uirescet,
Fulgebit magno in uenerandaq; gloria Mundo.

In sum-

DE ANTICHRISTO

In summa, gladijs his sic utere, Tonantis
Vt pereant ouium latè tota agmina Christi:
Sic defende gregem, lupus ut sis: sic rege puppim
Christicolam, ut sis ipse mari pirata furenti.
O' fili mea spes, mea magna potentia fili,
Tanta his est gladijs uirtus, tot cognita bellis,
Et tantis (mirum dictu) perspecta triumphis.
Sunt usu faciles, agiles, aptiq; gerendis
Rebus: non acies adamas hebetauerit, aut æs,
Non ferrum, aut duræ cotes, silicesq; rigentes.
Imbuti primùm Furijs, magicoq; notati
Carmine, uipereoq; intincti saepe ueneno
Vim mira occultant in se uirtute potentem.
Sic ait, & Gnati geminos accommodat enses
Vtrunq; ad latus, & loris satis applicat arctè.
His sua uota tamen simul addit: Abite potentes
Hinc enses, & bella horrenda ciete per orbem
Ingentem, Furias populis inferte, cruoris
Fundite perpetuos per mœnia, & omnia fontes
Arua, Dei horribili max letho tollite Gentem.

LIB. II. FINIS.

DE

DE POTESTATE CLAVI-
VM ANTICHRISTI: LI-
ber Tertius.



AE C dum solenni peraguntur singula
pompa,
Iubilo & insigni, ueluti leuis Eurus &
Auster

Abruptos perflant uehementi turbine montes,
Nonnulli, quibus aërias ocysima pennas
Natura, & uolucres super omnia flamina cursus
Contribuit, strepitu ingenti spatia infinita
Peruolitant: inumq; emensi Acheronta momento
Insistunt ripis, & rectà regia campos
Tecta petunt super Elysios, cœtusq; reuisunt
Sacros, demissè sibi demandata ferentes.

Lucifer accersit, quærit num singula firma
Sint transacta fide. Qui sic bene cuncta fatentur,
Et loca felices tenuisse per omnia cursus,
Se tamen immensas etiam superasse paludes,
Umbrarumq; specus, & abyssi Tartara magnæ.
Hinc geminas promunt (dictu mirabile) clauas,
Aere suo niueas, præstantes pondere & usu,
Quas ægrè à tergo nonnulli sustentabant
Suspensas ualida quadrati demones hastæ.

O' clauas astu, & Sygia uirtute potentes,
Non duce concessæ Christo, non patre Deorum,

L

Inuise

DE ANTICHRISTO

Inuisæ cœlo, pestes mortalibus, uni
Acceptæ inferno, cladesq; ruinaq; Mundi
Vos estis, per quas patefacti ad sidera fontes
Tartarei, infandas nimium euomere tenebras:
Totus ut in præceps Mundus ruat, & per opacum
Aspernata Dei lucem, turba impia callem,
Deuiet à uero cœlestis tramite uitæ.

Heu quot in aduersas Christo desciscere mentes
Vidimus, & scelerum his securos pondere niti
Clauibus, at Stygias ferri celeri impetu in umbras.

Exultat pater, & letos sub corde triumphos
Versat ouans, animum & multa spe pascit. Amore
Digne meo, patre Lucifero dignissime fili,
O' nostrum decus, inquit, & ô spes unica regni,
Indole materna, simul & uirtute paterna
Quem scio percelebrem, super astra micantia fama,
Et super æthereas abiturum fulmine nubes,
Dissipet ut Gentes, & latum terreat orbem:
En gemina posthac tua erunt insignia claues,
Nec tibi dedecori, sed honori crede futuras
Summo: sin oneri censes, aut fortè dolori,
Parce metu, ad superos comitabitur usq; penates
Te uirtus genitoris, & æqua potentia fili.

Hic quoq; fatorum iam dudum arcana reuoluens,
Anteq; uenturi multò iam præsciis æuis,
Tempus erit uideo, quo te super atria Diuûm
Lucida, in æthereos ausum penetrare recessus,

Et m. 30

LIBER III.

Et maiestatis solium uiolare Deorum,
Inquam te, tanto persuasæ Numine Gentes
Esse Deum credent, qui summo cum Patre regnum,
Naturam, & summos æquè partitus honores,
Et cœlo Diuis, & Manibus imperet Orco:
Quos uelit exutos, cœlestia in atria, uita
Continuò locet, & Diuorum interserat albo:
Quos uelit è superis detrusos protinus auris,
Sub Stygias agat, & fuget, & prouoluat ad umbras.

Cœlorum tibi sunt clauēs, irrumpe: Deorum
Consilia, & Diuūm tibi cuncta arcana patebunt.
Relligionis iter, fidei uia, regula uitæ
Te penes est, totusq; tuo pendeat ab ore
Mundus: ad æthereos sine te sera nulla recessus,
Ianua nulla patet. Sine te qui lucida tentat
Scandere testæ Dei, liquefactis, Icarus, alis
Decidet, ut quondam, Stygias ruiturus in undas.
Et bene, qui potuit tua temnere Numina, cœlo
Is careat, calidoq; insudet pessimus Orco.

His subiges sacra cuncta Dei mysteria, & almæ
Clauibus inuertes quæcunq; oracula Verbi:
Subijcies proprijs affectibus illa: nec ullis
Scripturæ exhibeas monitis te Gnate regendum.
Quæ minus arrident adimes, & clauē resolues:
Quæ mutila, & quæ fortè tibi imperfecta uidentur,
Plenius, & melius tua pectore scrinia laxans.
Illa tuo sic ore resarta, exculta, Tonantis

DE ANTICHRISTO

Pro uerbo adijcies: qui nolint credere, uel qui
Reijcient, ferro hos coges, aut igne cremabis.
Scripturam, penes est te, sanctam, sola potestas
Illustrandi, omnes interprete claue figuras
Torquendi quocunq; uoles, depromere capsas
Diuinos omnes, eademq; includere sensus.
Quid multis, tibi sola Deum cœlumq; potestas
Cogendi, uitæ & lethi qui solus habenas,
Solutus habes magni qui ius immobile fati.

Hæc tua erit terris Diuina potentia fili,
Iusta equidem minimè, reprobis sed Gentibus una est
Terribilis, stulto & populorum innixa timori.
Crede mihi, quodcunq; uoles, quodcunq; uolupte est,
Hæc sola efficies specie: tibi regna, tibi urbes
Hæc cedent, cedent Reges tibi iura creandi.
Cæsareaq; caput procerum insignire corona
Solutus eris qui possit, & hæc sine Numine nemo
Sceptra tuo, nemo sine nutu regna capeisset.
Nam solues quodcunq; libet, contraq; ligabis
Quæ tua maiestas uelit, & diuina potestas.

Solue, liga. Non'ne hæc uis & sententia uocum est?
His da qui placeant solum tibi, qui minus, illis
Eripe Principibus sua munera, & exue Reges
Iure suo: arbitrio quin iuramenta rescinde
Sacra tuo. Tua sunt quæ cœlum, & pontus, & æther,
Fertilis & quæ fert, & quæ fet et omnia tellus.

Tu caput es quo dia suas Ecclesia uires,

Atq;

LIBER III.

Atq; refrigerium, & dulcissima pabula uitæ.
Et requiem deriuat, & alma gaudia pacis.
Tu lex uiua hominum, uiuo quo fonte resultant
Sacrarum uires legum. Quæ feceris, & quæ
Dixeris, illa Dei factis æquandaq; Verbo.
Tantus es, es Mundi stupor, & lux, & decus orbis:
Et iudex cuius Manes ueneranda sub imis
Iussa tremunt umbris, atq; alto flamina coelo,
Spirituumq; chori. Tua supplice Mundus honore
Iudicia, è coelo tanquam delapsa profundo
Suscipiet, colet, & uenerabitur, atq; timebit.

Si mihi tot, uolucrum quot habent mille agmina, lin-
Oraq; ranarum quot habent mille agmina stagnis (guæ,
Innumeris, essent, ne sic tua Numina dignè
Exprimere, aut uerbis tantilla attingere laudes
Parte queam tantas, ô fili, cuius ab ortu,
Solis & occasu diuina potentia Mundo,
Inferno, & superis, atq; innotescet Olympo!

Hinc melius toto, nec erit te sanctius orbe
Quicquam, cuius erunt sub lucida sidera nutu,
Et regimen terrarum, & fata, & secula. Quin iam
Naturam inuertes rerum, quod candidum in atrum,
Quodq; atrum in niueos poteris mutare colores.
Et tibi cum fatum subsit, tibi tempora & anni
Subsunt, pro libitu mutabis tempora & annos.

In noua traduces uariatas corpora formas:
Quod modò Petra fuit, ui uerbi desinet esse

L 3 Petra

DE ANTICHRISTO

Petra tui: Caput hinc in sacro corpore summum
Mox erit, & reliquis dominabitur undiq; membris.
At tibi concessa est simul hæc ars optima, panem
Ut quemcunq; uelis uertas in uiscera Verbo
Carnea. Carnis erit tibi plurima copia: nam quod
Panis erat prius, extemplò caro dente teretur.

Ipse ego ridiculas non rarò rideo fraudes.
Et sanè primo crepuissem tempore risu,
Pectore ni uentura meo iam fata reuoluens
Scissem, nonnullos, aliquot post secla, futuros
Nescio quos è Gente Deum, qui lyncea inultos
Mente dolos pandent orbi. Tu bella ciebis
Hos contra, roseis fœcunda cruoribus, hostes.
Fulmineas distringe manus, demerge baratro,
Ad nostros huc usq; lacus demitte: merentur
Quas, subito expendent hoc nostro carcere, pœnas.
Non horum iam tum fugiunt me nomina. Primus
Acer erit, uerùm hunc emisso fulmine uinces:
At nimio alterius uereor ne pondere uirtus
Immineat tibi, nèue inuictò hic irruat ausu.
Tu tonitru reboante incumbe, retunde minaces,
Immissas & te contra confringe procellas.

O fili mea spes, mea summa potentia, nostri
Tu fulcrum regni quo innititur. Omnis ab ortu
Solis & occasu tibi seruiat orbis. At audi
Quid dicam: Mundi quæ sunt extra organa magni,
Omnino nusquam quæ sunt, hæc usibus apta

Sunt

LIBER III.

Sunt o sancte tuis, puerorum limbus, & aestus
Purgantis flammæ præferuidus: hinc animarum
Errantes larvæ, querulo sua fata tumultu,
Et gemitu horrendo pœnas mille incusantes.

At reliqua ut sileam, tibi cuncta Elementa, tibi omne
His mixtum paret: cœlum, terra, æquor, & æther,
Res animatæ omnes quæ sunt, animæq; carentes,
Zodiacus, sic quæ septemplici in orbe feruntur
Sidera. Sed leuiora sequar propioraq;: plumbum,
Aes, stannum, ferrum, bullæ, indulgentiæ, & undæ
Lustrales, necnon axungia Chrismatis, alma
Cera, oleum, crux, sal, tractumq; è gutture sputum,
Annatæq; suo prouentu & scœnore, sacra
Templa, aræ, missæ, picturæ, idola, per orbem
Reliquiæ ingentem sanctorum hinc indeq; sparse,
Lac, sanguis, uestes, hastæ, ligna, ossa, capilli:
Hæc tibi dedecori minimè, nec inepta gerendis
Rebus, & humanos ludendi accommoda sensus
Hæc sunt, crede mihi ingentes hæc omnia in auri
Conuertes cumulos. Ars Alchymistica tantas
Possidet haudquaquam uacua, ditissima, uires,
Spe tantum. tibi Pactolus fluet & Tagus auro.

Et iam si rectè memini, & uentura reuoluo
Pectore, quid rerum quod non tibi seruiet usquam est?
Sunt Deus & Diui, sunt Sacramenta, Deiq;
Verbum, Relligio, diuina, prophana, sacerdos,
Rusticus & clerus, præbendæ, pallia, Turcus

DE ANTICHRISTO

Bella, neces, minitans: sunt uiui & mortui, & alimum
Coniugium, & sacro rupto diuortia nexu:
Sunt pisces, carnes, ouum, gallina, uolucres,
Anser, anas, lepores, asini, lac, caseus, agnus
Ille Dei, & procerum rosa consecrata triumphis:
Sunt quoq; campanæ suspensæ turribus, aptæ
Fulmine pellendo, nimbis & grandine, & alto
Cælo inferre animas: & sunt inclusa sepulchris
Corpora: quin scelerum moles, Sodomiticum, et excors
Omne nefas, sunt scorta, cohors sunt pessima mœchi,
Deniq; quid dicam? tibi præstò Diabolus ipse est,
Et Furia, & Larua, Styx, & Cocytus, & Orcus.

Hinc pretio figes leges, iterumq; refiges,
In prædam rape, ne cures, quodcunq; placebit,
Regna & opes Mundi. pretio peccata remitte.
Vende polos, & uende Deū, sacra uende, quod usquam
Emunge æs populis, & uanum absterge pudorem. (est
Ast tua iam toti si scrimia pectoris orbi
Panderis, & iubar hoc superis effulserit umbris,
Lex terris inuisa Deo radice uirescet
Immensa, & Gentes subito spargetur in omnes:
Accipient animis illam gratantibus, alto
Delapsam cælo tanquam. Quis perfidus, aut quis
Intantum æthereas excors contemnere uoces
Audeat, aut tumido se opponere legibus ore
Præsumat sanctis? Dictoue reprehendere quis te,
Aut queat erroris foedo insimulare furore?

Stringe

LIBER III.

Stringe aciem, & sacro malefidas fulmine Gentes
Concute, & umbrarum ualida ui merge baratro.
Non mea te uirtus unquam patietur inultum
O' fili, aut tantis te deseret excita coeptis.
Et Furiae occultè semper tua uota iuuabunt,
Consilijs aderunt, & bella furentia toto
Orbe serent, nectent odijs odia aspera, lites
Litibus, & magnos in mutua uulnera Reges
Impellent: celebri sedenim tua gloria fama,
Sidereoq; illustris honos se condet Olympo,
Cum terræ Elysijs exarserit orbita flammis:
Et iam pulsa fides, pietas & sancta penates
Liquerit humanos, seq; atro exemerit æuo.

Verum ubi decrepiti adproperabunt ultima Mundi
Fata, suoq; graues Naturæ pondere uires
Destituent ualidis fluxum successibus æuum:
Et polus, & rutilæ purissima sidera stellæ,
Et rerum series, & semina, siue profundo
Oceano quodcunq; subest, quæq; atria flatus
Incolit Aeolios inter tumidissima Nereus,
Hæc ubi conciderint flammis liquefacta Deorum
Indomitis, nexuq; suo iam tota soluta
Machina in ardenti penitus defecerit æstu,
Iudicium instituet summum Deus ille Deorum,
Et semel extremum solio ius dicet ab alto.

Vivi aderunt, aderunt extemplò morte soluti
Quos tulit atra dies. Ibi non fuga, non erit ulli

DE ANTICHRISTO

Tum licitum se oculis subducere iudicis, horas
Ducendo in longas scelus, aut euoluere fato
Immoto, latebras timide quærendo fugaces.
Hoc opus, hic labor est. tunc expedienda profectò
Arma tibi fili, tentandum quid tua uirtus,
Quid furor, & rabies possit, quidq; ense lacerti
Neruosi stricto, quid fulmina, quidue corona,
Pallaq; Getula colorata sub inguine conchæ.
Imprimis, modò si qua tuæ est audacia menti,
Iunge minas armis, quin dira tonitrua uultu
Intenta, & bello priscos imitere gigantes.

Si hæc proficiant uanis minus omnia uotis,
Irritaq; in uacuas spes pectore abiuerit auras,
Collige quod reliquum est, extremos collige in omnes
Seruatum casus, si fors miserata laborem
Mitior est usquam, claues prætende, comantes
Queis cœli effringes, pellucida limina, postes,
Cœlicolis audens leges præscribere turmis.

Ast tua cur fili, fili dulcissime, fili
Cur tua distineo, & nequicquam pectora cassis
Expleo consilijs! Equidem iam nescio quis me
Extimulet furor, & diuersum edicere cogat
Fatorum arcanis inductum: Desine, uinces
Arte Deum nulla, nec aperto Marte laceffes
Impunè hunc, perdes tanto sub Iudice litem.
Successus fortuna negat: ne crede furori.
Nec tutum satis est nimium confidere dextræ.

Inconsulta

LIBER III.

Inconsulta lucent meritas mox pectora pœnas.
Moliri incassum turpe est nimis ardua, vires
Quodq; tuas superet. Memini, cum lucida quondam
Inclytus incolerem magnorum mœnia Diuum,
Spes erat haud tenuis, pupugitq; audacia mentem
Liuida diuinos omnes mihi sumere honores,
Et super immensas euadere Numinis aras.

Nec mihi qui stimulos auderent addere, nec qui
Iam deërant studium offerrent operamq; fidemq;
Quid Deus? Immemorem ne sui oblitumq; decoris
Censen, & huic tanto nil succensere furori?
Terribilis uultu, quo Mundi summa profundi
Culmina, quo mare, quo terras, piceiq; recessus
Territat immensos Orei, quo splendida contra
Atria, sidereosq; choros, coelumq; serenat,
Protinus in medium sua fulmina conijcit agmen,
Attonitosq; metu & stupidos late undiq; sternit.

Spes erat una fugæ, studium omnibus acre fugiendi.
Confestim trepidare omnes, ululare frementes,
Nusquam stare loco, discurrere, quisq; latebras
Querere, nec latebris confidere. Quà uia, quà fors,
Quà furor, & quà quemq; uocat spes ultima uitæ,
Hæc ruit, hæc fertur. Iam iam premit, instat, & urges
Vindictam exposcens, & tergo uictor inheret.

Exciderat uirtus omnisq; audacia uictis
Prima animo: nec mens tanto confusa timore
Suadebat cœptis his ultra insistere, rebus

Aut de

DE ANTICHRISTO

Aut desperatis moliri extrema. Cupido
Vna fuit procul à uictore & abesse Tonante.
Horrendis plangunt ululatibus atria Diuùm
Intima, confuso miscentur cuncta tumultu.
E' multis sonus unius erat miserabilis, unus
Atq; ingens gemitus: lachrymabili & omnia questu
Flere polo sunt uisa. Quid unquam tristius, aut quid
Funestum magis hoc fato secla ulla tulere?

Hinc subito uelut ictu oculi, tot millia nostrùm,
Quot cœlo stellæ fulgent, Deus æde beata
Præcipitat, fugat & latè profligat Olympo.
Mox illo pulsus fœdum & mirabile quiddam
Accidit, æquarat summis quos gloria Diuis
Dia prius, quos & maiestas inclyta formæ,
Et mentis cœlestis honos decorarat opimè,
Ab pudet effari, postquam extra est æthera uentum,
Illos paulatim radiantis lumina relinquunt
Gloriæ, & indecores, hinc uultu deformatos,
Distortos animis, obscuros mente, trucesq;
Cernere erat fusca totos caligine. Sic nos
Victos, extorres, patrijsq; è sedibus actos,
Regnorum hanc faciem, piceosq; habitare coëgit
Hosce specus. Quis fata Deum declinet & iras?

Huc fili uiui peruenimus optime, fili
Maxime, te mea sceptrâ manent, te Tartara Regem
Expectant: humeris & iam quoq; regna uidentur
Ista tuis niti. Sine te me uiuere nolle,

Malle

LIBER III.

Malle mori credas. O spes mea maxima Gnate,
Suauior ô dulcedo Hyblæ mihi melle Sicanae,
Sola meæ requies uitæ, mea sola uoluptas.

Gnate caue patris exemplo, ne Numina quicquam
Iudicis hæc tanti contra conere, profundo
Cum coelo inuectus uenit alta nube: stupendum
Aspice maiestatis opus, quæso aspice Verbi
Inuicti nullo minuendas tempore uires:
Queis simul immensum queat uno euertere Mundum
Impetu, & astra suo radiantia protinus æstu,
Et terras, Pelagiq; ingentes tollere fluctus.

Verum animo lætare tuo nihilominus, una hæc
Gloria te recreet, uenturis hæc quoq; fatis
Eruta: Iudicij postquam sententia summi
Lata erit, infinita trahes his millia tecum
Clauibus, innumeras sub regna hæc lurida Gentes,
Quæ duce te, te Rege, Dei sublimia Christi
Numina, & exosæ mysteria dia uerendi.
Hic quoq; te populi per secula cuncta sedentem,
Hoc solio inspicient nostro, quemq; orbe secuti,
Proq; Deo coluere suo, sub Tartara euntem
Infima, te nunquam, mihi fili crede, relinquent.
Egregiam sanè laudem, & spolia ampla sub umbras
Has referes nostras. Aeternos gloria demum
Duratura dies tua sic rediuiua uigebit,
Adjiciesq; tuis ingentem finibus orbem.

Sic ait, & Gnati claues appendit utraq;

Collo,

DE ANTICHRISTO

Collo: est in laeuam subridens ingerit aurem
Nonnihil, atq; inflat tenui haec arcana susurro:
Noster eris, nos, nostra tuere, imitere parentem,
Aduersere Deo, pietatis & hostis & osor.

DE QVIBVSDAM ALIIS
ANTICHRISTI ORNAMENTIS
& signis, deq; eiusdem primo in terras
aduentu: Liber Quar-
tus.



AM Sol Hesperium cursu ad cōcesserat
axem,
Purpureisq; Aurora diem pulcherrima
bigis

Eminus Antipodum uenientem indixerat orbi:
Iamq; per Eois sua sera crepuscula syluas
Spargit, & in dubio discurrens lumine uesper
Arbusta, & uirides sepelit sub collibus ornos.

Eccc duo, uolucris perflat uelut æquora flatu
Eurus, & in tumidis scuit uelut Auster arenis,
Dæmonia, è Latij, Tiberis que permeat, oris
Adueniunt subito, & recto penetralia cursu
Ima petunt, pultantq; fores, ubi regia campis
Magna, stat in medijs. Venientibus undiq; ualuæ
Panduntur, portæq; patent. O maxime princeps,
Et uos

LIBER IIII.

Et uos o socij, quæ uos tam sera moratur
Segnities, aiunt, totam & clamoribus ædem
Complent: Nox ruit Oceano, Sol Gadibus ingens
Imminet, & Numidas Maurosq; Atlante reuifit.
Ite uiri, properate, dies inclinat, & imis
Ingenti mixtæ nebula iam uallibus umbræ
Circumquaq; uolant Tiberinæ in margine ripæ.

Hic genitor uocat artifices, qui pellibus arte
E' uarijs, suere artis opus quacunq; solebant:
Este manu prompti, nulli sua præmia deêrunt,
Este alacres; res urget, & instat tempus, eundum est.

Nec mora, seruet opus: sua cuiq; prouincia, cuiq;
Sedulitas sua. pars rubeo nonnulla colore
Tingunt, & Stygijs exiccant uellera flammis:
Resina & hic ducunt, & imungunt fila, recuruo
Pars formas fingunt cultro, sed partibus aptat
Hic partes. Verum quiddam miserabile dictu
Accidit huic, corium cum instaret ducere morsu,
Tres miser ab proprio dentes euulsit ab ore.
Excipit hunc risus casum: miser omne nefanda
Damnât opus lingua, furiosoq; abijcit æstu.
Consuere ast reliqui concinnè singula pergunt,
Insudant alacri & seruore operantur anhelò.

Sandalia hic subito sunt uisa emergere, mirum
Quàm speciosa, sacro lepidè exornata decore.
Obducunt croceo supraq; infraq; metallo,
Auro Arabum soleas, gemmisq; micantibus auro

Compages

DE ANTICHRISTO

Compages pingunt laterum, post intus & extra
 Expoliunt satis, addentes sua uota: Tenellus
 Hæc pes calcet, & his totus ferat oscula Mundus,
 Ante hæc flectantur genua, & sublimia Regum
 Terga ruant prostrata solo: Submittere sacro
 Nunquam colla pedi pigeat, pudeatue tenellis
 Sandalia hæc adeò pulchra humectare labellis.

Lucifer arridet uotis: Hæc omnia fato
 Stent immota suo, non ullius abroget æui
 Hanc uis aut series legem. Volo singula fiant,
 Sic uolo, sic iubeo, fiant. O' inclyte fili,
 O' teneri niueiq; pedes, ô sidera plantæ
 Phœbi splendidiora rotis, longeq; micantes
 Auroræ, & roseas Lunæ excellentia bigas!
 O' plantæ queis nulla sat est reuerentia Mundi,
 Relligio non ulla uirum! Mihi dicere fas sit:
 Indignæ facies Regum, summoq; reposta
 Maiestas solio, sunt ora indigna, uerendas,
 Cæsarea, & sanctas adeò contingere plantas.

Sanctæ eritis cunctis & sacrae Gentibus, hæ uos
 Gratia opisq; loco, ueraq; salutis habebunt.
 Ceu portus fessis, sacra anchora desperatis
 Spes parit, emollitq; acres sub pectore curas,
 Sic uos iam scelerum tumido propè gurgite mersis,
 Queis tenuis superest aut portio nulla salutis,
 His requiem, requieq; nouam spem, speq; soluta
 Corda metu parietis, & almæ gaudia uitæ.

Vos

LIBER IIII.

Vos quæfisse uia est ad apertos unica cœlos,
Et reperisse salus, imò attrectasse labello,
Osculaq; infixisse pio reuerenter honore
Spes requiesq; animæ: tanta his est gratia, tanta est
Ad quodcunq; nefas uirtus immane piandum
Sufficiens. Huc huc, quid opus modò fidere Christo?
Huc properate omnes, ubi fons scaturigine uiua
Gratiæ in arentes animæ diffunditur ædes,
Interiora rigans uistas uelut imber aristas.

Mors ualeat, ualeat sacrata morteq; fusus
Sanguis, & hæc meriti ualeat modò gratia Christi,
Clauibus his, pedibusq;, horum uis omnis adhæsit.
Lucifer hæc: Gnatiq; pedes mox induit ambos
Sandalijs, gemmis croceoq; micantibus auro.

Hic quoq; Tisiphone Furiarum maxima seclis
Quas manuum thecas multis gestauerat, arte,
Pelliceas, quas ipsa sua sibi neuerat aureis
Filis, & gemmis pulchrè intertexerat, illas
Fert famulæ subnixa humeris, peramabile munus
Forma, præclarum pretio, uirtute stupendum,
Inuentu nusquam Stygiæ nisi fauce sub ædis,
Non minus æterno dignum, quàm splendida, cultu
Sandalia, & summo reuereri mentis honore.
His etenim manuum thecis uis dia profundo
Vis infusa polo est, uirtutiq; æqua Deorum
Virtus, qua perhibent animas uirtute beari,
Et dicto citius super astra micantia tolli,

M

Sidereas

DE ANTICHRISTO

Sidereas super alta domos habitacula Diuūm.
Et uelut è largo promanant undiq; riui
Fonte, per herbiferos sinuatoq; agmine colles
Decurrunt, coëuntq; in uallibus ægra leuantes
Arua siti, floresq; animant herbasq; liquore
Fœcundo: sic his manuum benedictio thecis
Effluit alma, per ingenteis multo agmine terras,
Per uarias Mundo Gentes, coëtusq; uirorum:
Pectoribusq; imis coit, ægram mente relaxans
Ima animam, tollensq; sitim, spemq; intus ouantem
Illa refrigerio reficit, pascitq; beato.

Hem ridete uiri, queis mens est sana, stupendos
Audistis, nec uana fides, aut fama, furores.

Dæmonia excessêre adytis, uisq; omnis ab Orci
Tartarca erupit cryptis, & ad usq; micantes
Euasere polos umbræ, queis horrida uultu
Mors, & acerba lues animæ prospèctat Erinnyis.
Pulsa antiqua fides Mundo, doctrina, quiesq;
Pulsa animis, spes tota anceps, percussa q; fato,
Carnificesq; experta truces euauit, & sic
Disperijt pax æternæ sibi conscia uitæ.

Integritas quondam, qua prima Ecclesia flore
Ceu uerno emicuit, dudum tot passa furorum
Heu tempestates iam Mundo exaruit omnis.
Prisca procul pietas, diuinæ abiere sorores
Gratia, & ingratas terras Astrea reliquit.

Suscipit, & geminis pater arctè amplectitur ulnis

Quod

LIBER IIII.

Quod fera Tisiphone dederat peramabile donum:
 Hoc roseos Gnati digitos, niueasq; tenellasq;
 Induit exornatq; manus. Sed Gentibus illæ
 Quò mage terribiles, magis aspectuq; uerendæ
 Orbe forent, insigne decus, decus antea Mundo.
 Non ullis uisum seclis, quo dia refulget
 Maiestas, sanctæq; adeò cœlestia sedis,
 Atq; Dei recubant mysteria multa Deorum,
 Addit apostolicum (res certa & mira) Tridentem.

O uenerande tridens, tua si præconia fas sit
 Dicere, quid dicam? Linguae si mille uolucrum,
 Mille cicadarum pinnae, moduliq; laterent
 Ore meo, fluerent si uerba imitata Sicanos
 Dulci uoce fauos, tantilla attingere laudes
 Parte tuas tentem? Decantent cœlitus illas
 Flamina Spirituum potius, me supplice tantum
 Hoc decet ore loqui: Gentes quas æthere ab alto
 Sol oriens, Solq; occiduus, polus Auster & Arctos
 Terrarum innumeris populos quos despicit oris,
 Te uenerande tridens sancto uenerantur honore,
 Suspiciunt humiles, miroq; tuentur amore.
 O uenerande Tridens, qui maiestate refulgens
 Pontificali, immensa poli regis atria magni,
 Demulcesq; tuo rerum uaga semina nutu,
 Cœlicole te ritè colunt, tremunt Orcus & imi
 Ripa Stygis, manesq; tremunt, ubi fulmina zelo
 Impulsus sancto, & tristes emiseras iras.

DE ANTICHRISTO

Proh pudor, ah dolor, ah quæ fœda obliuio nostris,
Exclamant Furia, obrepfit modò sensibus, antè
Quod ueritæ sumus euenit: sed fortè liquori
Hesternæ nimium Lethæo indulsumus aura.
Lethargus nos segnis habet. Non ne annulus ille
Aureus, antè suæ dederat quem Lucifer almæ
Sponsæ, seruatur nobis? Hunc filia quærit
Noctis, in oblonga, ALBERTO turpissima, bursa,
Inuenit: hem meministi uos inter pocula curæ
Commisisse meæ. Soror accipe, te decet unam
Hunc teneris pueri digitis affigere tanti.

Arripit, &, Nobis cunctando diffluit ætas,
Inquit atrox oculis, celeriq; leuissima cursu
Tisiphone aduolat, ante thronum uultusq; puelli
Se sistens sauctos. O spes, ait, incluta, nostri
Hæres & imperij, princeps ô magne, parente
O puer hoc tanto dignissime, quæso benignas
Ad mea uerba aures, referam certissima, flecte.
Sponsus eris, terras quàm primum ingressus ab Orco
Duxeris ingentes tecum, nigra monstra, phalanges.
Sponsus eris, sed erit tibi pseudoecclesia sponsa,
Sponsa per ingentem forma notissima Mundum,
Picta genas minio, crissos redimita capillos
Idalia myrto, teneras contusa papillas,
Sæpe petita procis, & sæpe subacta, salaci
Exornata habitu, & uesano splendida cultu,
Christi exosa Dei sanctum saluantis amorem.

Heu mi-

LIBER IIII.

Heu mihi quàm multos hæc tecum transiget annos,
Digna tuo amplexu, nec amore indigna, cubili
Digna tuo! Illecebras ah quantas inuicem amorum,
Saucio & ah quantas sub aletis pectore flammæ!

Ne dubites, etenim stabili connubia lege
Hæc rata erunt, nexuq; suo quàm plurima stabunt
Secula, firma diu. Sed & annulus aureus esto
Hic uinclum thalami, signumq; perennis amoris
Aeternum uestri. Mox hæc effata micantem
Annulum, ouans, digito dextræ reuerenter adaptat
Tisiphone, tali uoto: Velut annulus arctè
Hunc in se digitum complectitur, arctius almanæ
Hic iuuenis sponsam ardenti amplectatur amore.

Hinc pater ingenti sumptu, mira q; tapetas
Arte laboratos, pietum netricis Arachnes
Arte opus Idmonia, uarijs antiqua figuris
Furta Iouis, prisca referensq; trophæa furoris,
Substernit Gnati pedibus. Micat extimus auro
Tartarus, & nitidis fulget nigra regia gemmis.

O' dignæ aulae plantæ! quid? non ne deceret
Vos auro & gemmis insistere, quas quoq; Diuunt
Coelicolumq; colunt turmæ, quas ante necessum
Magnorum prostrata ruant nitidissima Regum
Colla? Pedes ô candiduli, queis sanctius, & queis
Orbe nihil toto præclarius extitit unquam,
Pulueretas uitate uias, torpiq; cauete
Ne cœno aspersi, uel olenti stercore, nares

DE ANTICHRISTO

Offendatis, & ora uirum inficiatis, iniqua
Ne sic lege ferant sua uobis oscula Gentes.
Ne quaeso ante fues, nec sanctum exponite diros
Ante canes: quaeso duo ne pulcherrima Mundo
Sidera denigranda feris, temnendaq; uulgo
Obijcite insulso: uos ostro insistite tuti,
Digni auro & gemmis, pictis digniq; tapetis.
Scilicet hoc Petrus, & quondam pia pectora Christi
Cætera, Apostolico plantas ornare decore
Consueuere, per innumeras cum paupere terras
Ah irent habitu, tenui & tot mœnia uictu
Incolerent, manuum & quaesito sæpe labore.
Aureus ille throno cultu clarissimus alto
Insidet, inflatus buccas, patris æmulus ore,
Regali fastu tumet, & iam corde Tonantem
Despicit æthereum, cœlos deposcit, & alta
Regna sibi Diuum crudeli destinat ausu.
Nil satis esse sibi iam tum putat: haud nigra Ditis
Atria sufficiunt, cupidos non Orcus & ima
Styx animos explent, nullo satiandaq; honore,
Non explenda opibus, mens tota scelestæ, profunda
Ingluue absorbet Mundum, penitusq; micantem,
Quo magni sunt castra Dei, deglutit Olympum.
Bella animo meditatur, & iras colligit imo
Pectore, bella parat: sanctos quibus impetat ausis,
Dumq; licet terris fato, dum copia præstò est
Ante diem summum Christo quacunq; nocendi,

Quis

LIBER IIII.

Queis ausis in ouile Dei, quoue irruat astu,
Præcipitesq; trahat secum sub lurida Gentes
Tartara, & ingentes quibus artibus æris aceruos
Accumulet, procerumq; ad se deriuet honores,
Omnibus hæc animi perpendit singula neruis.

Interea solita geminas statione cohortes
Disponit pater, & pedites equitesq; decenti
Ordine, & æratas hinc atq; hinc instruit alas
Ad Gnati latus. At tanto dignatur honore
Non quosuis, sed enim delectu protinus inter
Tot manes habito, ad longam hos examinat hastam,
Hanc humeris qui proceris, & uertice summo
Aequassent, quorum satis esset cognita uirtus,
Et perspecta fides, his confert arma alapardas
Ingenteis, quarum uix unam sustinuisent
Tres Itali. Immanes his insuper adijcit enses,
Quinque ferè digitos (dictu mirabile) latos.

Pectore uix reprimens sua gaudia Lucifer inquit
O' socij fortes inuictaq; pectora bello,
Experti toties & mitia & aspera, uestro
Principe me comite, & magnos hostiliter ausi
Ire Deos contra, postesq; effringere ruptis
Cœlorum summa arce seris, custodia Gnati
Vestra erit una mei proceres reliquiq; potentum
Consilijs aderunt, uos huic incumbite curæ,
Quò Gnatus uestris, ceu fortes condecet, armis
Tutus in orbe fiet, belliq; domiq; secundum

DE ANTICHRISTO

Carpat iter. Molli si dedat membra grabato
Sancta, uel Idalia se exerceat ille palaestra,
Vos foris excubias armis agitote fideles.
Nec minima haec uestri, sed longè maxima terris
Pars erit officij: Regales ducere pompas,
(Atria saepe tonant aliàs queis splendida Regum)
Nec pedibus, nec equo semper, sed Rex quasi Diuum
Et Regum, & Christi toto orbe uicarius almi
Assuescet, ferriq; humeris: solioq; triumphans
Despiciet sublimi oculo hic hominesq; Deosq;
Vos simul hunc iuxta suspensio incedite gressu,
Excelsa ceruice, oculis flammantibus ira,
Vultu atroce minis, tumidi, tantisq; alapardis
Terribiles, resonoq; truces instate boatu:
Cogite ut ante Dei sanctissima Numina tanti,
Anteq; diuinos inflexo poplite uultus
Procumbant, tendantq; manus, & supplice adorent
Corde omnes: quòd si qui nolint, fustibus illos
Cedite: foemineo ne parcite sexui, honoris
Nullius, haudquaquam rationem ætatis habete.
Sed placet ut uestrae quoq; nunc documenta stupendæ
Experiar uirtutis, adeste, hos undiq; Manes,
Et quoscunq; tegunt umbræ, compellite, summo
Protinus ut tantum uenerentur Numen honore.
Haud secus ac iussi faciunt, ululatibus ima
Atria, & ingentes complent mugitibus umbras:
AB ASSO exclamant AB ASSO: flebilis Echo
AB

LIBER IIII.

AB ASSO resonare per omnia littora Auerni.
Hic subito Elysijs late tota agmina campis,
In genua ante thronos, ante aurea Numina, tantum
Procidere ante Deum, & deuotas tendere palmas,
Innumeras palmas, tot, quot niue libera frondes
Erigit Hercinia pinus pulcherrima sylua.

Nec reprimunt ultra læti sua gaudia Manes,
Iubilo & ingenti erumpunt, uelut Orgia Baccho
Qui celebrant, multo madefacti mane falerno.
Lætitiæ immiscent dulcissima uota: Parentem
Gnate refer, Rex uiue per omnia secula Regum,
Viue patri, sic uiue tuis: tibi cœpta secundo
Decurrant fato, deuictisq; æthere Diuis
Summo, atq; excisis sanctorum mœnibus, umbræ
Hæ tantis resonent post ultima fata triumphis.

Ad sanctos se turba pedes clarissima, magni
Abijciunt proceres: O' præstantissime rerum,
O' nostris (aiunt) indulgentissime uotis!
O' puer, ô soboles exoptatissima, nostræ
Sæpe tibi Elysijs fumabunt undiq; campis
Arae, multa cadet nostra tibi uictima dextra.
Esto tuis facilis: patriæ quos inclyta iunxit
Sedes, hos quoq; iungat amor: quem semine nasci
Contigit hoc nostro, nobis hunc gratia mensq;
Par quoq; conciliet, faueasq; fauentibus uno
Corde tibi, redamesq; tui, hoc oramus, amantes.
Mox iuramento se obstringunt, fallere sese

DE ANTICHRISTO

Nolle fidem, fore se perq; omnia secula fidos.
Nec prius assurgunt pedibus quam dulcia sanctis
Oscula libassent summo reuerenter honore.

Omnia mox ad iter satis aptè instructa uideri:
Tum pater: O' fili mea spes, mea sola uoluptas,
Ad tempus quoniam modicum disiungimur, unà
Mox iterum his regnis post ultima fata futuri,
Viue memor nostri, sobolem quacunq; Tonantis
Arte licet, toto suppressam funditus orbe
Dele, atq; imperio cunctas huic subijce Gentes.
Fili uiue memor nostri: quem plura uolentem
Dicere, commotis ima sub pectoris æde
Visceribus, subito impediunt lachrymae interfuse.

Filius hæc contra: Tuus ô pater alme quod optes
Explorare labor, mihi iussa capessere fas est.
Tu genitor mihi das quod sum, tibi debeo uitam,
Viuere qui dedit, & tanto cumulauit honore,
Imperio & sceptro immeritum: quacunq; parenti
Prodesse, & patrios latè diducere fines
Enitar, monitisq; insistere gnauiter: armis
Et bello aggrediar Gentes sobolemq; Deorum.
Nec me destituet uis, aut hoc Marte uoluntas
Fundendi roseos per moenia & arua liquores.
Tu mihi subsidio mittes, quoscunq; uel astu,
Vel prestare scies animi uirtutibus alti.
Alme uale genitor: lachrymans collumq; parentis
Amplexus largo madefecit lumina fletu.

At subi-

LIBER IIII.

Ast subito ingenti strepitu, tremuloq; tumultu
Abripitur genitore, thronos iterumq; locatur
In summos. Subeunt humeris onus arduum & ingens
Quadrati pedites. Octo latera undiq; claudunt
Purpurei proceres, rubeis capita alta galeris
Ornati, apicibusq; alij circum extima binis
Tempora. Post illos audaci incedere gressu
Terribiles gladijs, & fustibus, atq; alapardis,
Custodes Regis Regum. Plebs multa uidendi
Circumsusa ruit studio: longo ordine matres
Astant: discurrunt pueri hinc illincq; puellæ.

Ante alios sed eunt tenebrarum pondere magno
Hæretici, ut quacunq; queant iter undiq; tanto
Arte parent domino. Mox hi trans alta profecti
Compita, diffundunt glomerato turbine molem
Ingentem umbrarum: eripitur Sol, luxq;, diesq;
Lux oculis, & magna omnes confusio terras
Corripit, hæc sequitur Stygius magno agmine princeps.

Mille hinc plaustra trahi præpinguibus intus onusta
Et nigris monachis cute, post hæc mille uerendis
Idolis. Strident axes, clamoribus instant
Aurige, torquentq; ictu resonante flagella.
Atria lata gemunt, Stygiæ clangoribus ædes,
Horrissonisq; tremunt ima caligine postes.
Timpana, & ingenti strepere undiq; cornua plausu
Musica, & Elysios penetrant modulamina lucos.
Par leuibus uentis exercitus euolat Orco,

Aura

DE ANTICHRISTO

Auræ par uolucris, ripas Acherontis ad altas:
Quem Charon ut lacera transuexit nauita cymba,
Ille senex animo indignans minitansq; furenti,
Irrident miserum custodes, ille Deorum
Nequicquam lachrymis uindictam implorat obortis.

Phoca sed hîc, cuius pater usus Lucifer Orco
Est opera, ut multos alios præuertit habena
Alite, procurat bene singula, & aduentanti
Hospitium turbæ, tanto satis impiger ausu.
Quin reputans animo se nondum sat bene cura hac
Defunctum officio, simul arte atq; imperat ira,
Cogit ut in toto terrarum mœnia gyro
Omnia, & ut populi sparsi toto orbe, profecti
Principis ex Orco iurent in uerba, salutem
Huicq; suam cuncti committant pectore prompto.

Hinc rectâ Italianam, tot quondam Heroibus, & tot
Martyribus, tot fœcundam remicantibus orbe
Luminibus, Christi tot coctibus, impia cursu
Colluuias petit ingenti, & multo agmine terras
Contegit Oenotrias: nigra ceu nube locustas
Visum est obscurasse polos, solemq; diemq;
Atq; sua campos latè abscondisse cohorte.

Emersere umbræ penitus, noxq; omnis ab Orco
Egressa immensum subito peruasit in orbem.
Errorum caligo ingens, cumulata furorum
Tempestas, glomeratoq; agmine fumus abyssi
Iustitiæ Solem claro conclusit Olympo.

LUX

LIBER IIII.

Lux perijt fidei sanctæ, lux dia Deorum,
Lux mentis nostræ, pietasq; exaruit, atram
Lucifer ut sobolem hanc superas extrusit in auras.

Verum inter reliquas Babylon celeberrima Gentes
Oenotrias, Regina orbis nitidissima, ripas
Qua uirides flaua Tiberis prætermeat unda,
Hæc una arrisit, sedes ubi figeret illa
Luciferi soboles, totius Erinnyis ab ortu
Solis & occasu Mundi, Christi hostis & osor,
Christicolæ pestis Gentis, summæq; Deorum
Iræ index super ingratum certissimus orbem.

CONCLUSIO.

SI quis in æternis habitare exoptat Olympi
Aedibus, ante Dei perfundi nectare uultus,
Ille fide uera Christi uexilla secutus,
Sub cruce Christi adum tecto succedat ouilis.
Salue CHRISTE Deus, uia, spes, & uita tuorum,
O' dulcedo animæ uerissima & unica nostræ!
Salue quo patrias solo remeamus ad ædes,
Extra quem non ulla salus, nec portio uitæ est.

Dira uale soboles nostro contraria Christo,
Mundi immensa lues, Satanæ Camarina, furorum
Colluies exosa Deum, quæ dum tibi coelos
Subijcis, in Stygias præceps demergeris umbras.

F I N I S.

Iamq;

IAmq; opus exegi, quod nec monstri ira nec ignes
 Romulei, nec Tarpeia fera fulmina rupe
 In nostros huc atq; illuc iaculata penates:
 Quod non, Pyramidum cui cedunt omnia tandem
 Marmora, tempus edax, nec mordens omnia liuor
 Improbis, hoc hominum haud rabies abolere malorum,
 Nec poterit lacerare meos mala lingua labores.
 Tu timea hinc quoq; abi immodico mala bestia uentre,
 Et uos ô tenui sed edaces inguine blattæ
 Ite procul, non uos unquam mea carmina pascent.
 Liber eo quâ se latè uerissima pandit
 Relligio terris: Christi dum sancta per orbem
 Vox erit in pretio sanctis, dum lucida stellas
 Orbita cœlorum uoluet, dum pontus & æther
 Incolumes stabunt, current mea scripta piorum
 Ora per, & pia doctorum per corda uirorum.
 Sed neq; me nimium premet hic mala lingua malorum,
 Quippe canum minimè moueor latratibus: & mox
 Parte mei meliore super stellantia uectus
 Culmina, cygneis fidei liberrimus alis
 Ante Deum æternæ perfundar nectare uitæ.
 Tum me non mala lingua premet: post fata quiescit
 Liuor, & hinc uatum sunt magno in honore Camœnæ.
 Et tua cum nostros, ô candide, summa labores
 Vuezeli, doctrina ab opacis uindictet umbris,
 Quo nostræ è Pindo Musæ & Iernaside luco
 Egressæ, uarijs Mundi celebrentur in oris,


Gaudeo,

Gaudeo, ouansq; opto rumpantur ut ilia dura
Inuidia canibus tumida latrantibus ira.
Te uerò ô Vatum fautorq; Aganippidos undæ,
Musarum decus, ô animæ pars maxima nostræ
Vuezeli æterna decorabit Apollo corona,
Et celebri trans astra uehet fulgentia fama.

Sit gloria soli Deo, sit pijs salus ubicunque
sint. Antichristo paratum est
exitium.

FINIS TOTIVS
OPERIS.

BASILEÆ, TYPIS OPO-
RINIANIS, ANNO
M. D. LXXXV.



155 775

(X2204391)






Handwritten text on a small rectangular label, possibly a library or archival mark.

Handwritten text on a second small rectangular label, located below the first one.





Inches 1 2 3 4 5 6 7 8
Centimetres 1 2 3 4 5 6 7 8 9 10 11 12 13 14 15 16 17 18 19

Centimetres

Farbkarte #13

B.I.G.

Blue

Cyan

Green

Yellow

Red

Magenta

White

3/Color

Black

VICTORIÆ
GLORIO-
SAE ET AE-
TERNÆ ÆTERNI
Patris, necnon Christi & eius Fi-
delium, contra Satanam eiusq; in
terris uicarium Antichri-
stum pugnans,
LIBRI IIII.
Item:
DE ANTICHRISTI NA-
tiuitate, Inauguratione, Ornamen-
tis, Potestate, & in has terras
primo aduentu,
LIBRI IIII.
Authore
VVOLFGANGO AM-
PELANDRO Helue-
tio Bernate.